F889

COMMENTATIO
DE
FIRMAMENTIS CONVENTIONVM PVBLICARVM,

QVAM

SOLO DEO PRÆSIDENTE,

AVCTORITATE

ILLVSTRIS JVRECONSVLTORVM

IN CELEBERRIMA

GISSENSI VNIVERSITATE

ORDINIS,

XIII. KAL. JVN. A. C. M DCCI.

IN SOLENNISSIMA

DISPVTATIONE

PROCERVM VELITATIONI EXPONIT

FRIDERIC. LVDOVICVS WALDNER DE FREVNDSTEIN,

EQVES ALSATA.

GISSÆ CATTORVM,

LITTERIS JOHANNIS REINHARDI VULPII, VNIV. TYP.

13448 A
16/6/91



ILLVSTRISSIMO VIRO,
NICOLAO BLEDIO
MARCHIONI VXELLIO,
ORDINVM REGIORVM EQVITI, LEGATO EXERCITVVM, VRBIS ET ARCIS CABILLIONENSIS GVBERNATORI SPECIALI, ET SVMMO PER ALSATIAM MILITIÆ PRÆFECTO
FRIDER. LVDOVICVS WALDNER DE FREVNDSTEIN.

COmmentationem Academicam, Nicolae Uxelli, Vir Illuſtriſſime, in tuo nomine edere inſtituenti in mentem venit vereri, ne conatus hujus fiduciam multi reprehenderent. Occurrit enim mihi tua dignitas, occurrit auctoritas: cogito quam Tibi perſonam Tua virtus imponat, quæ Te impli-

cent negotia, quæ curæ pro publica ſalute tuenda fixæ & locatæ detineant. Diſſertatio etiam ipſa nullo cultu ornata, nullis phaleratis dictis inſignita, nullis ſententiarum pigmentis & coloribus illuſtrata lucis publicæ inſolentiam & tanti nominis fulgorem vix pati ac ne vix quidem poſſe videtur. Veruntamen, quia argumentum ipſum, ut ego interpretor, aliqua ex parte cum publica utilitate conjungitur, Tuque eo es animo præditus, ut, quemadmodum in beneficiis collocandis mores hominum, non fortunam ſequeris, ſic in perſolvendo Tibi officio voluntate contentus effecta non deſideres: colligo diſſipatas animi partes, ac ne dubitare quidem audeo, quin id tam gratum Tibi ſit futurum, ut etiam vitia ſcriptionis & circumpoſiti cultus negligentiam poſſit deprecari: quippe apud quem magis profutura ſit incepti pietas, quam nocitura ingenii tantæ materiæ ſuccumbentis inopia. Itaque malui me tanto viro publica paupertatis profesſione debere confiteri, quam cuiquam minus prudenti videri ingratus, hoc ipſo oſtenſurus mortalibus omnibus, quam longe cuncta noſtra infra meritorum tuorum magnitudinem jaceant. Veriſſima tua laus eſt humanitas, excelſo loco ſita illa atque illuſtri, tot mihi documentis perſpecta, ut hac laude Tibi conferre poſſim pauciſſimos, anteponere debeam neminem. Atque hoc loco lubenter cogitando recordatur animus pueritiæ memoriam ultimam repetitque ſecum & magna cum voluptate contemplatur officium ſingulare atque eximium in Germaniam ſtudiorum cauſa miſſo mihi in dando commeatu præſtitum: quo Te nomine video mihi & ad ſuſcipiendam & ad ingrediendam optimarum litterarum rationem principem extitiſſe. Sed omitto illa vetera, quorum memoriam nulla mihi ex animo evellet temporis diuturnitas: recentem gratiam tacitus præterire non poſſum, quod haud ita pridem juvenem, in quo nihil erat laude dignum, niſi laudandarum artium cupiditas, ingenioque & virtute excellentium Virorum admiratio, velociſſimo nuncio peregre accitum, animatum aſpectu & ſermone tuo, excitaveris monitis ſapientiſſimis ad hoc publicæ jurisprudentiæ & univerſalis ſtudium cum cura percolendum: &, cum in acuendo plurimum valere putetur, ſi laudes eum, quem cohortere, addideris, non prorſus Te indelectatum fuiſſe ſpeciminibus induſtriæ meæ, quæ in Academia Giſſena edita Tibi eſſent oblata. Incredibiliter me movit cohortatio tua, atque hoc ſtudio ſatis ſua ſponte flagrantem acrius inflammavit incenditque, ut, cum antea vel ſapientum præceptis, quæ ex libris hauriuntur, permotus, vel illectus ipſa, quam affert animis, jucunditate nonnullam in eo operam ſub haud pœnitendis magiſtris conſumerem, nunc ita ſtatuam, non ſatis eſſe in ſtudiis me ſimilem eſſe mei, laborandum atque enitendum, ut ipſe me vincam, & quibus artibus Tibi, Vir Illuſtriſſime, Tuique ſimilibus placere me poſſe video, ad eas omnes curas, omnem diligentiam, laborem, ingenium conferam. Quod ſi his, quibus dixi, curis, diligentia, labore, quæ ingenium ſæpe vincunt, profici in hoc genere quicquam poteſt, ut certe poteſt; magna ſpes me tenet, fore, ut neque Te conſilii,

neque me obſequii pœniteat. Sed illa pars ſermonis tui, qua de fructu, qui honor eſt, ſignificas, & addis, eum ut nequaquam contemnendum conſequar, eſſe Te elaboraturum, ea vero pars animo meo infixa hæret, & novo quodam Tibi me vinculo obſtringit. Equidem is ego non ſum, cujus animum ſtimulet præceps quædam & inſatiabilis opum honorumve cupido. Habeo magnam gratiam naturæ meæ, quæ me ad hanc inſaniam non impulit, majorem etiam iis viris, quorum voce exemploque formatus hanc ſectam rationemque vitæ ſequor, &, ut ſpero, ſequar, quoad lucis uſura contigerit, ut nec ſumma valde appetam, nec ſumma adeptis invideam. Litteris paſcor, his voluptatem nullam præfero, ac ne confero quidem; harum conſuetudine nihil gratius experior, nihil amabilius. In his tamen ita ſemper verſandum mihi eſſe putavi, non ut nomine magnifico ſegne otium velarem, ſed quo in patriam, in rempublicam, in ſocietatem fructus, ſi quis erit, vel potius cum quis erit, (quid enim prohibet, quæ ſumme cupio, ea ſumme etiam ſperare?) redundaret omnis: quæ mihi ſemper ſtudiorum ratio ſe probavit unice. Quo ſi patria fructu, ſi reſpublica, ſi major illa gentium ſocietas ſive non poſſit uti, ſive nolit, non pigebit ad eam vitam reverti, quam multi à doctrina, virtute, ſanctitate commendatiſſimi homines, recte, an ſecus, non diſquiro, ſed tamen multi etiam patriæ, Reip. ſocietati anteponendam eſſe putaverunt. Hæc una via mihi habetur & laudis & dignitatis & honoris, laudari & diligi à bonis viris, ſapientibus, & quorum omnis vita conſumta eſt in laboribus glorioſis; hæc eſt ſignata & impreſſa veſtigiis proborum; hæc à Te, qui unus inſtar multorum eſſe potes, mihi munita. Cur igitur dubitem, quin Tu jam nunc humanitatis tuæ luculentum, ego ſtudiorum meorum fructum ſim conſecutus uberrimum? Quod ſi ipſa illa inſignia honoris non ſequantur, ego tamen, quod faveas litteris, quod bene cupias ſtudioſis hominibus, in tua laude ponam; quod nihil perfeceris, meæ fortaſſe culpæ, vel ut æquior in me judex ſim, meæ fortunæ aſſignabo. Inſignis artifex omni parte abſolutam cogitatione & mente complectens formam, cum ipſe nihil non in arte poſſit, opus tamen imperfectum ſubjectæ materiæ vitio relinquit. Quod niſi iſta mihi privatim præſtitiſſes, quæ ſperare impudentis fuerat, tamen, quam mihi Galliæ, quam mihi ſanctiſſimæ & antiquiſſimæ parentis, patriæ ſalus cordi eſt, tam Tibi, Virorum Illuſtriſſime, ſum publico nomine obſtrictus. Ludovicus Magnus animo ſupra humanam naturam & fidem evectus, magnitudine cogitationum operumque, celeritate bellandi, patientia periculorum Magno illi Alexandro, ſed ſobrio neque iracundo, & J. Cæſari, ſapientia Solomoni, ſed quid peregrina commemoro? omnium virtutum genere Carolis, Henricis, Ludovicis majoribus ſuis, qui Magni, qui Pii, qui Sancti ſuis meritis & humani generis ſuffragio cognominati ſunt, omnibusque omnium gentium, omnium ſeculorum Principibus quacunque laude eminentiſſimis ſimillimus plerisque major, hoc inuſitatarum virtutum novo atque inaudito concentu & conſpiratione hoc novum &

inuſitatum conſecutus eſt, ut cum Divi Principes olim non ante habiti ſint, quam agere inter homines deſierint, Ipſum vivum valentemque omnes non modo cives, queis aliquis probitatis ſenſus ineſt, ſed & melioris orbis incolæ habeant tanquam præſens & ſalutare numen, & ſtupenda felicitate virtutem Ejus non comitetur immortalitas gloria, ſed præcurrat. Has divinas virtutes, hujus orbis terræ moli paris imaginem mentis feliciſſime exprimit Magnum Patris Incrementum Auguſtus Delphin cum cœleſtis indolis Liberis; imitantur & ſequuntur prope tenus Principes, Amici, Duces, Purpurati, quos fama illis priſci ævi heroibus æquat. Ut enim vitioſi Principes non ſolum vitia concipiunt ipſi, ſed ea infundunt in civitatem: ſic facere recte cives ſuos, Principes optimi faciendo docent, nec exemplo minus quam virtute proſunt. Rex noſter maximus idem & optimus, ex quo nos Francicum genus Francorum imperio iterum adjungere dignatus eſt, ſæpe quidem & immortalibus beneficiis oſtendit, quam ſibi chari eſſemus Alſatæ, nunquam tamen evidentius, quam cum noſtri cauſa tot incomparabiles Viros, magnos in graviſſimis, quibus orbem terræ capeſſit, laboribus, adjutores, à latere ſuo ſejungi paſſus eſt. Cum autem Te, Nicolae Uxelli Marchio Illuſtriſſime, nobis impertiret, hoc viſus eſt dicere: En hic ille eſt, cujus virtus & fides in nomen Gallicum in otio, in negotio, domi, foris mihi ſemper abunde probata ſunt, ſpectata omnibus, hoſtibus etiam formidata. Hujus ego mentem cunctis imperatoriis artibus imbutam & maximis laboribus pro mei majeſtate imperii tuenda ſuſceptis exercitam vobis, ó mei, dono, ut ipſius conſiliis, virtute, vigilantia veſtram ſalutem retineatis & dignitatem. Iſtam Auguſtiſſimi Regis noſtri indulgentiam, iſtam noſtri curam quibus laudibus efferemus? quibus ſtudiis proſequemur? qua pietate complectemur? Iſtam Regis indulgentiam, iſtam noſtri curam Tu quoque, Vir Illuſtriſſime, ad nos attuliſti, & quæ de Te fuit ſumma omnium expectatio, cum eſſet auditum te ſummo cum imperio ad Alſatiam adventare, eam expectationem vicit longiſſime tua præſentia. Non cultum, quaſi magnos viros per ambitionem æſtimantes, nec lautam ſupellectilem, nec exquiſita ingenia cœnarum: ſed animum tuum virtutesque miramur: in quarum æſtimatione pridem certant judicia noſtra cum judiciis Principis, nec quisquam eſt, qui in rebus omnibus, quas agis, quas ſuſcipis, quas decernis quid tantis hominum opinionibus, tantis de te judiciis, tantis honoribus dignum ſit, id te numeris omnibus explere non dicat. Hæc quamquam ad eos ſolum, quibus cum poteſtate præes, pertinere videntur; tamen, quæ eſt conſuetudo famæ, illa tuæ ditionis finibus non terminantur. Non dicam nunc de ſingulari tua bellandi virtute, & ceteris, quæ in ſummo atque perfecto imperatore quærendæ ſunt, multis artibus eximiis hujus adminiſtris comitibusque virtutis. Bellicas enim laudes tuas Ludovici Magni hiſtoriæ inſertas celebrabunt non ſolum noſtræ, ſed pæne omnium gentium litteræ & linguæ; alet poſteritas, fama rerum & ipſa temporum æternitas ſemper tuebitur. De iis virtutibus loquor, quibus Tu militare nomen,

grave

grave inter otioſos, temperas, & imperatorii nominis ferocitati modum ponis. Itaque cave ſis putes Te Alſatis, Burgundionibus, Gallis ſolis eſſe continentem, eſſe humanum, eſſe beneficum. Hæc vident Alſatæ, ſentiunt Burgundiones, experiuntur Galli: audiunt hoſpites, laudant exteri, prædicant peregrini. Te ajunt eſſe, ad quem facillimi ſint aditus: cujus aures omnium pateant querelis: cujus non modo domo, ſed ne cubiculo quidem nullius inopia, nullius ſolitudo excludatur. Aiunt, non itineribus tuis perterreri homines: non ſumtu exhauriri: non adventu commoveri: eſſe, quocunque veneris, & publice & privatim ſummam lætitiam: cum urbs cuſtodem, domus hoſpitem, pater familias amicum recepiſſe videatur. Age, ſint illa velut in campeſtri quadam luce poſita, hæc ad rempublicam civilem pertineant: quid? ſat amplis doctoribus inſtructus majoribus tuis, ne qua in parte publicæ utilitati tua deeſſet ſapientia, in juventa eis eruditus artibus, quibus animus ad magnæ fortunæ cultum excitatur, nunc, ut civium multi iisdem eruditi ſint, quantum in Te eſt, laboras. Teſtem locupletem &, ut Juriſperitorum verbo utar, omni exceptione majorem habeo Argentoratenſem Academiam copioſam eruditiſſimis hominibus liberalibusque ſtudiis affluentem, quæ non minus ſuſpicere videtur tuam in ſublevandis tuendisque omnis ingenuæ doctrinæ diſciplinis ſapientiam, quam mirari rerum præclariſſime geſtarum magnitudinem. Agnoſcimus felicitatem ſeculi ingeniumque imperii Ludoviciani: quo, ſive admirabilem triumphorum ac victoriarum ſeriem & innumerum heroum numerum ſpectes, ſive eminentiſſima cujusque profeſſionis ingenia in eandem formam & in idem temporis congruentia ſpatium, ſive militiæ togæque decora ſociata artiſſimisque temporum clauſtris circumdata, nullum in his terris majus, nullum felicius, nullum auguſtius unquam fuit. Longior fui in his litteris, quam aut vellem, aut quam tua dignitas permittere videretur: ſed me in ſcribendo publicæ felicitatis conſideratio & commemoratio tuæ virtutis delectavit. Unum eſt, quod Te, Illuſtriſſime Marchio, ea, qua par eſt, obſervantia rogo obteſtorque, ſinas pro tua in me voluntate, ut, cum nullam referendæ Tibi gratiæ facultatem habeam, hoc ſummæ in Te pietatis ſanctiſſimique obſequii monumentum relinquatur, & me perpetuum tuarum virtutum admiratorem fortunasque & ſalutem meam, in perpetua tua benevolentia, fide, clientela eſſe patiaris. Deus, qui Gallicani Imperii molem in ampliſſimum terrarum orbis faſtigium extulit, cuſtodiat, ſervet, protegat Regem optimum cum Divina Domo, Regnum optimum, Proceres optimos: Tibique inprimis, Vir Illuſtriſſime, cui iſtam mentem dedit cum iſta dignitate, velit utriuſque rei fructum eſſe maxime diuturnum, & æquare vitæ tuæ ſpatium cum iis bonis, quæ in te ſumma contulit. Giſſæ Cattorum

A. C. MDCCI.

Cicero Acad. Quaſt. IV. 20.

SAPIENTIS HÆC VIS EST MAXIMA, CAVERE NE CAPIATVR; NE FALLATVR, VIDERE:

Seneca III. de Benef. 15.

VTINAM NVLLA STIPVLATIO EMTOREM VENDITORI OBLIGARET, NEC PACTA CONVENTAQUE IMPRESSIS SIGNIS CVSTODIRENTVR, FIDES ILLA POTIVS SERVARET ET ÆQVVM COLENS ANIMVS! SED NECESSARIA PRÆTVLERVNT OPTIMIS, ET COGERE FIDEM, QVAM SPECTARE MALVNT.

JOHAN. NICOLAI HERTII,

J. U. D. ET ANTECESS. PUBL. h. t. COLLEGII JURIDICI DECANI

INVITATIO,

CVM

PER-ILLVSTRIS ET GENEROSISSIMVS

DOMINVS,

D. FRID. LVDOVICVS WALDNER DE FREVNDSTEIN,

EQVES ALSATVS,

SOLENNEM

DE CONVENTIONVM PVBLICARVM FIRMAMENTIS

PROXIMO JOVIS DIE HABITVRVS ESSET

DISSERTATIONEM.

GISSÆ CATTORVM,

TYPIS, JOH. REINHARDI VVLPII, VNIV. TYP.

JOAN. NICOLAVS HERTIVS
J.V.D. ET PROF. P. COLLEGII JVRIDICI
h. t. DECANVS
CIVIBVS ACADEMIÆ STVDIOSIS

S. P. D.

SÆpe ego, dum muneris mei partes obeo, Vos alloquor: ſed diffiteri nolim, verba ad Vos ut faciam hoc tempore, me magnâ animi voluptate propemodum incitari, quando rariore apud nos exemplo ſolemnem cathedram eſt aſcenſurus, quem præter illuſtrem vetuſtæ gentis ſuæ claritatem ſublimis ac multiplex eruditio exornat. Eum ſi non nominarem, Vos ipſi animis præciperetis, eſſe

eſſe Virum Juvenem Per-Illuſtrem atque Generoſiſſimum Dominum FRIDERICVM LVDOVICVM WALDNERVM de FREVNDSTEIN. De cujus ortu ſive natalibus, & quemadmodum hucusque in literarum ſtudio ſit verſatus, ſi nonnulla dicam, nihil puto, præter morem ac rationem me facturum. Gentem ejus quod attinet, talis eſt, ut cum multis non tantum in Alſatiâ, ubi commoratur, ſed & in cæteris Germaniæ regionibus de antiquitate poſſit contendere. Jam ſupra milleſimum ducenteſimum octuageſimô tertio anno inter rei monetariæ Præfectos, ex antiquioribus & nobilioribus familiis ab Imperatore delectos, quos vernacula noſtra Hauſsgenoſen vocabant, Argentorati memorati videas Waldnerios. Apud M. Albertum Argentinenſem ad A. MCCCL. mentio fit *VValdenariorum Ingenuorum Alſatarum.* Quo ingenuorum nomine tum inſigniebantur, qui à Miniſterialibus, hoc eſt, inferioris ordinis Nobilibus, erant diſtincti. Idem Argentinenſis meminit ad eundem Annum *Hannemanni VValdener, Argentinenſis & Baſilienſis Epiſcoporum Nepotis.* Fuit autem tempeſtate illa Epiſcopus Argentinenſis Bertoldus Comes de Bucheckè, Landgravius in Burgunden, ex Commendatore & Provinciali Alemanniæ Ordinis S. Mariæ Teutonicorum primum Spirenſis, deinde Argentoratenſis Epiſcopus. De cujus geſtis & fratribus Hugone, Capitaneo urbis Romæ ſub Henrico Luzelburgico Imperatore & Roberti Regis Siciliæ Principe militiæ, familiarique dilectiſſimo, & Matthiâ, Archi-Epiſcopo Moguntino, profeſſa opera egit idem Albertus Argentinenſis. Olim Nobiles ab aliis maximè internoſcebantur, ſi ludis ſolennibus Torneamentorum, ut vocabant, intereſſe poſſent. Horum vero decimo, Tiguri Anno MCLXV. celebrato, Georgium, quarto decimo Bernardum, ſeptimo decimo Henricum & Georgium, decimo nono Jacobum, primo & viceſimo

In Chronic. p. 155.

De rebus geſtis Bertoldi Epiſcopi Argentinenſis p. 178.

Theodoricum & Georgium, Joannem & Andream, viceſimo quarto Joannem, Waldnerios gente omnes, adſcriptos fuiſſe, indicio Gabrielis Bucelini & Rixneri cognoſcimus. De quibus & ejusdem gentis aliis plura haud dubie ſciremus, ſi majores noſtri quemadmodum fortibus factis ſe oſtentabant, ita operam iisdem deſcribendis majorem accuratioremque intendiſſent. Quanquam ad gentis hujus claritudinem probandam abunde ſufficiat, quod primariis cum Rhenaniæ Alſaticæque, tum Franconicæ ac Miſnicæ Nobilitatis ſit familiis innexa, nec dubiâ fide inter neceſſitudines ſuas Eckbrechtos de Türckheim, Venningios, L. Barones Sickingios, Berenfelſios, Liberos & Immediatos S. R. Imperii Barones Fleckenſteinios, Landſchadios de Steinach, Windeckios, Creilsheimios, Reitenbachios, Maldizios, Reizenſteinios, Zobelios de Gibelſtad, Geyeros de Gibelſtad, Dapiferos de Wezhauſen numerat. Nec illud omittendum, Mulhuſæ, quæ Civitas illuſtri Helvetiorum Corpori fœdere conjuncta & Noſtro natalis eſt, Baſileæque Waldneros Civium honorariorum, quos vulgò Ehrenbürger vocant, jure pauciſſimis tributo gaudere, maximorumque in iis domi militiæque munerum, ad quæ exteris nullus patet aditus, obeundorum capaces eſſe. Cæterum Patre natus eſt cognomine VIRO PER-ILLUSTRI ET GENEROSISSIMO DOMINO FRIDERICO LUDOVICO WALDNERO, Equite Alſato, Schvveighuſii, Sirenzii, Bervilæ, Bertsvilæ, Weckenthalii & Olvilæ Domino, qui primum in bello Flandrico & Sabaudico Centurionis munere perfunctus, abhinc à REGE GALLORUM CHRISTIANISSIMO cogendis ab Equeſtri in Alſatiâ Ordine ob cujusque capitis cenſum pecuniis juxta alios Præfectus, deinceps mereri honores quam petere maluit; matre amantiſſimâ DOMINA MARIA CORDULA DE ROTHSCHUZ, ſingulari ſexus ſui ornamento

De S. R. Imperii ſanctitate Majeſtate potentia & nobilitate p. 297.

mento. Quibus parentibus nihil fuit antiquius, quam ut filiolus à teneris & exemplo ſuo & monitis Magiſtrorum veram pietatē morumque integritatem imbiberet. Eundem jam decennem Onoldum ad Materteram, ſanctiſſimam Matronam, JOANNI SIGISMUNDO LIBERO BARONI ab HESSBERG nuptam, miſerunt; Ubi à privatis præceptoribus juxta bonos mores artem imprimis emendate loquendi edoctus eſt; abhinc in Gymnaſium, quod ibidem eſt, atque in diſciplinam Pro-Rectoris M. HAMBERGERI datus, auſpiciis hujus in arte oratoria & Dialectica non parum profecit, lineamenta quoque Jurisprudentiæ naturalis ad ductum Samuelis Pufendorfii jam tum animo impreſſit. Ad ſuperiorem demum claſſem promotus, M. GERETIO Rectore, ſpecimen in bonis litteris profectuum protinus edidit Panegyrico Diis Manibus SERENISSIMI PRINCIPIS CHRISTIANI ALBERTI MARCHIONIS BRANDENBURGICI dicto, ac dicato SERENISSIMO FRATRI GEORGIO FRIDERICO, quem ad Principatus Gubernacula nunc ſedentem fama non obſcurè majorum ſuorum gloriis exæquat. Eodem Geretio ductore Philoſophiam moralem naturalemque, Geographiam & Hiſtoriam nec non theticam Theologiam excoluit. Et ne cruda ſtudia in Academias propelleret, Jus Romanum ad Juſtinianearum inſtitutionum methodum explicantem audivit Virum Nobiliſſimum atque conſultiſſimum D. BACHELBLIUM à GEHAG, Judicii Cæſarei Provincialis Burggraviatus Norici Aſſeſsorem & Conſiliarium Brandenburgicum. Verum ſupra inſtitutionem omnem fuere ipſi exempla ſermonesque fideles, cujus paulo ante memini, Materteræ ſuæ Mariti, BARONIS HESBERGII, Viri ſumma prudentia nec minore dignatione, in quo patriam ſibi ſanctitatem conſtituerat, ut adeo nuper tantum amiſiſſe Patronum,

cui paulò ante mortem diſſertationem de diplomatis Germaniæ Impp. ac Regum, me Præſide ventilandam, conſecraverat, maximo fuerit mœrori. A tot tantisque præſidiis inſtructus Altorfium conceſſit, ubi vix menſtruo commoratus ſpatio Opponentis ſpartam in ſubſelliis JCtorum ita adminiſtravit, ut eadem ipſi poſtea quam ſæpiſſimè deferretur. Studia autem literarum, quæ Onoldi inceperat, tantum abeſt eum deſeruiſſe, ut potius eadem recolere perficereque totus incubuerit. In notitia Reípublicæ noſtræ & hiſtoria, quæque hujus adminiſtra eſt, Geographia vetere & nova & rei nummariæ ſtudio, virum ob omnigenam eruditionem ſuo merito celebratiſſimum Nobiliſſimumque D. WAGENSEILUM magiſtrum habuit. Jurisprudentiam profanam pariter atque eccleſiaſticam JCti nominatiſſimi, LINCKIUS & HAMMERUS, ambo interea beatè mortui, fideliſſime tradiderunt. In Genealogicis, linguarum ſtudio, arte Heraldica aliisque diſciplinis elegantioribus REUTERI, in lingua Italica D. FABRICII, Profeſſoris Theologi, opera uſus eſt. Altorfio demigrans Bavariam, Sveviam, *Franconiam* cum quibusdam itineris ſociis perluſtravit; Electorales, Epiſcopales, aliasque Principales aulas adiit; Norinbergæ, Ratisbonæ, Auguſtæ Vindelicorum, Monachii in virorum prudentia doctrina ingenio celebertimorum congreſſum colloquiumque venit, minime ſatis habens, iſtius Plautinæ aniculæ adinſtar, urbes vidiſſe, niſi & mores hominum perſpexiſſet. Demum Ludovicianam noſtram adiit, eo animo, ut faſtigium ſtudiis imponeret. Heic in civili prudentia & Juris, cum publica tum privata, univerſali ac Romano Germanica, nec non feudali, ſub auſpiciis collegarum meorum honoratiſſimorum, virorum Nobiliſſimorum, atque Conſultiſſimorum D. FRIDERICI NITZSCHII, (quo Præſide etiam diſſertationem de ob-

ligatione & poteſtate Regis Romanorum publicè defendit) & D. BERNARDI LUDOVICI MOLLENBECII ac, ſi id adjicere licet, meis quoque, nec non viri Maximè Reverendi, tum Juris Naturæ ac Gentium Doctoris, D. REINARDI HEDINGERI operam poſuit indefeſſam. Curſum autem, quem inſtituerat, non nihil interrupit actio pacis in celeberrimo Risvvicenſi conventu, cujus videndæ deſiderio in Bataviam conceſſit, Hagæ Comitis per ſemeſtre ſpatium & quod excurrit commoratus. Qua etiam occaſione, cum literis commendatitiis quorundam Germaniæ Principum inſtructus illuc veniſſet, non tantum Magnæ Britanniæ Regis aulam, prudentiſſimis viris affluentem, & Potentiſſimorum Fœderati Belgii Ordinum conventum ſæpiſſime vidit, ſed & Legatis aliisque Viris ſummis innotuit. Adhæc pace facta Lugduni Batavorum GRONOVIUM, PERIZONIUM, VITRIARIUM, NOODIUM, MATTHÆI, VOETIUM, Ultrajecti præſertim GRÆVIUM docentes audivit; tum quidquid in ceteris Fœderatatum Provinciarum & primariis ad Rhenum inferiorem civitatibus obſervatu dignum videbatur, accurata mentis indagine inſpexit. Inde cum egregiarum obſervationum cumulo redux, quid heic loci porro egerit, quoties in Cathedra ſteterit, quoties ibidem opponendi munere in Diſputationibus, non tantum Juridicis, ſed & Philoſophicis ac Theologicis functus fuerit, ſatis erit publicam advocare conſcientiam. Enimvero qui hucusque Incomparabilis in Academia hac Civis ediderat exemplum, cum altius aliquid meditaretur, non ignorabat è Nobilitate & Equeſtri ordine extitiſſe, qui illuſtres Majorum imagines Doctoreo titulo exornarunt, interque eos Florentium à Venningen, Vitum à Furſt, Ludovicum ab Oſingen, VVilhelmum à Neuhauſen, Chriſtophorum à Gich, Joachimum à Beuſt, Joachimum Mynſinge-

rum

rum à Frundeck & alios. Horum exemplo non quidem titulum Doctoris cenſuit expetendum, ſed tamen præſtitis illis, quæ à Jurium ac bonarum literarum Candidatis requiri conſueverunt, teſtimonium ſtudiorum ad culmen perductorum decorum nec innutile ſibi fore arbitrabatur. Ad conſcribendam igitur INAUGURALEM de PUBLICARUM CONVENTIONUM FIRMAMENTIS, rariſſimo & nunquam à quoquam inter exercitia Academica tractato argumento, DISSERTATIONEM ſe comparavit, & quod cogitaverat, tanta dexteritate perfecit, ut tale quid ſoli multum adulti & longo rerum uſu exercitati nec niſi raro exhibuerint: usque adeo egregiam & inſolitam in eo ſpirant omnia eruditionem. Habebitur Diſſertatio illa proximo Jovis die in ſolenni Profeſſorum Panegyri. Cui ut teſtes & arbitri adeſſe velitis, Cives Academici Studioſi, tanto minus Vos rogandos arbitror, quanto pluribus veſtrum erit volupe, igneam illam ingenii vim & lacteum eloquentiæ flumen ſuſpicere admirarive. Scribebam
Giſſæ octavo Calend. Junii
M DCCI.

ILLVSTRI, ET GENEROSISSIMO DOMINO,

FRIDERICO LVDOVICO WALDNER A FREVNDSTEIN, EQVITI ALSATÆ

S. P. D.

FRID GOTTHILF MARESCHALL dictus GREIFF, EQVES FRANC.

SERENISSIMI PRINCIPIS HÆREDITARII SAXO-VINARIENSIS EPHORUS.

Miram ingeniorum humanorum in cunctis animadvertimus diverſitatem: nec uno omnes reguntur affectu. Inprimis vero quam impari ſinguli ferantur in ſtudia impetu inter omnes conſtat. Certe nec inter illos, quos ſors naſcendi propius ad reipublicæ regimen admovit, de mente tractandis una omnium una eſt ſententia. Alios, quibus naturalis ineſt bonitas, tanta ſui videmus teneri confidentia, ut, nullo labore olim profunda addiſci, falſo ſibi perſuadeant. His ſuperbia turgentibus popularique plauſu inflatis perfunctorie ſacra hæc attigiſſe ſatis eſt, uſque dum ipſis operi admotis maximi illi, quibus laborant, defectus ſero nimis patefiunt. Qui paulo rectius ſentiunt, animum curatius quidem ad ſtudia applicant, ſed ſibi ſapere contenti hic ſubſiſtunt, atque lucem defugiunt publicam. Sunt etiam qui ſplendorem natalium intuiti deductæ ad ſe per tot majorum decora nobilitati cultu bonarum literarum aliquid decedere ſic ſatis ridicule cenſent. Hæc vero ſunt mala patriæ ac vulnera civitatis, quæ cicatrices poſt ſe relinquunt vel aſpectu teterrimas. Et certe male cum publica re ageretur, ſi omnes eodem ſibi conſtarent ſenſu, nec ſubinde egregia quoque excitarentur ingenia, quæ iſthæc inſuper habentes ad veram gloriam mentem ſuam appellerent. Ex-

emplum

emplum TV VIR ILLVSTRIS & GENEROSISSIME præbes, quo vix per multum tempus occurret illuſtrius. Auribus nil do, quandoquidem res ipſa loquitur. Scilicet egregias, quas natura conceſſerat animi dotes, ut arte juvares tanto ubiq; anniſus es ſtudio, ut ſupra induſtriam nunquam fuerit ingenii magnitudo. Proculcatis quibus genium oblectant plures, ætatisq; florem perdunt, iis Te tradidiſti ſtudiis quæ, quo ſunt remotiora à ratione vulgi, eo propius ad ſapientiam contendunt atque adducunt. Ubi in ſecundis aut tertiis ad conſequendas laudes hærere aliis ſat erat, TE, ut inter primos numerareris, enitentem plures mirati ſunt. Hinc omnium, quos rara ſeculi felicitates illuſtres habuiſti ſtudiorum Duces, Tibi conciliaſti favorem, ita ut recond'tum præ Te plane ipſis eſſet nihil. Tum quod ex eorum eruditione hauſeras, ut cum ipſis rerum argumentis contenderes & qu'd uſui eſſe poſſit cognoſceres, ſtrenue allaboraſti. Ea de cauſa ad Batavos TE contuliſti, adfuturus conventui, qui ad pacandam miſere hactenus in partes diſtractam & longo bello dilaceratam Europam erat inſtitutus. Omnibus ibi qui modo alicujus numeri nominisque erant innotuiſti, ob cultum ingenii & morum elegantiam cunctis amatus & charus. Inde confecto negotio huc redux factus non minori cura nomen Tuum illuſtrare perrexiſti eosque feciſti proceſſus, ut illis quoque palmam faceres dubiam, qui inter literarum curas conſenuere, atque id unum dederunt operam, ut docti haberentur. Quæ hujus Tuæ diligentiæ dederis ſpecimina, in vulgus nota ſunt. Bis TE in cathedra ſtantem & de rebus ex argumenti pondere celebratis magna cum animi delectatione diſſerentem audivimus. Jam denuo ibidem TE ſtitiſti laborum Tuorum præmium reportaturus: applauſum nempe publicum & pia proborum vota. Votis ex æquo respondebunt honores, quos Tibi decernent juſti iſtorum diſpenſatores. Nec enim tam iniquum cenſeo ſeculum, ut quod Tibi debetur, ſit denegaturum Nam ſicut exempla, quæ Tibi propoſuiſti HESSBERGIORUM, quos & ego in cineribus colo, inſigniter refers, ita illorum æquabis felicitatem; quam ut ſuperes ex animo precor. Sic publicæ rei optime conſultum fore, non vane mecum arbitrantur, qui Te norunt propius exemplo TVO edocentem, æqualia Tecum contendentibus æqualem nunquam deeſſe amplificandæ laudis occaſionem. Vale ACADEMIÆ TUIQUE ORDINIS DECUS, meque nunquam amare deſine. Giſſæ M DCCI.

ILLV-

ILLVSTRI GENERE LITTERARVMQVE GLORIA
CLARISSIMO DOMINO
FRIDERICO LVDOVICO WALDNERO DE FREVNDSTEIN
SINE PRÆSIDE
DE FIRMAMENTIS CONVENTIONVM PVBLICARVM DISPVTANTI
S. P. D.
CAROLVS GVILIELMVS DE MEYSENBOVGK.

INgenii Tui generoſos fœtus *de Capitulatione Ioſephi & Diplomatis Regum Germaniæ* ea lætitia & gratulatione excepi atque exoſculatus ſum, qua amicorum partus complecti ac fovere amiciſſimi ſolent. Aſſueſcant illi riſu Parentem agnoſcere, ut Deus illos menſa & Dea cubili dignetur. Ego quidem fœtum adhuc à matre rubentem ſedulo inſpexi, indolemque ac lineamenta explorans, cereoſque artus ac fingi faciles molli manu pertractans ſcribendis ſatis Superos advocavi. Et ſi mihi par voluntati cultura ingeniumque fuiſſet, Cenſoris perſonam induens triſte ſupercilium admoviſſem. Nunc quando id fata negarunt, & à maximo ingenio tuo nil niſi omnibus numeris abſolutum provenire poteſt, exporrecta fronte inter plaudentes ſedebo, votiſque meis blandiar, ac Tibi novum *de Firmamentis Conventionum Publicarum* opus parturienti gratulabor, omnibusque lætitiis incedam, quod hæc non tanquam infantiæ crepundia atque ingenii rudimenta, ſed ſeria plenæ maturitatis meditamenta, & conſummati operis faſtigium doctiſſimus quiſque æſtimabit. At me gaudii exuberantia transverſum rapit, redditque immemorem coram Litteratiſſimo Viro epiſtolam breviorem eſſe oportere. Vale LITTERARUM SYDUS ET DECUS, ac me, ut amas, ama.

Dabam Caſſellis die 22. Martii 1701.

AD

AD PERGENEROSUM AC NOBILISSIMUM VIRUM,
DOMINUM

FRIDERIC. LUDOVICUM WALDNER DE FREUNDSTEIN

STUDIORUM PUBLICÆ PRIVATÆQUE JURIS PRUDENTIÆ SUMMUM AD APICEM PROVECTORUM SPECIMEN SOLENNE IN ACADEM. GISSENSI LOCO INAUGURALIS DISPUTATIONIS EXHIBENTEM.

A*Mplior en! ſurgit ſtudiis honor :* Alſata *raro*
Nobilitas *gaudet nobilis eſſe modo.*
Creditur & Cathedram Doctorum aſcendere, quamq́;
Imponunt Muſæ, laurea equeſtre decus.
Jam quoq́;, quas ſimili *tribuebant nuper* alumnno,
Alſatia *laudes* interiore *ſonant.*
Æmula felicis nunc altera terra ſororis
WALDNERE *ingenium jactat & ipſa tuum:*
Quo magis ante alios, quam claro nominis ortu
Præſtas: quod cœli vividus ardor agit:
Quod jam præcipuas miris ſucceſſibus artes
Complexum, ſummum nunc Helicona petit:
Giſſa quod hoc iterum cernet ſplendeſcere, qui non
Doctorum reſonat doctius ore, loco.
Non ſibi ſed Giſſæ decus hoc contingere cernens
Invidiæ ſtimulos vix cavet Argyrope.
Magna, ſed eſto tamen peregrini hæc gloria cœli,
Nobile tam germen fonte rigaſſe ſuo;
Dum tandem noſtros fructus ſerventur in uſus;
Et placeat meritis ALSATA *terra tuis;*
Inque ſinum Patriæ quæcunque in litore lectas
Tam raræ effundas nobilitatis opes.

Illuſtri WALDNERIANO nomini
devotionem teſtaturus boni ominis cauſa ſcribebat
GEORGIUS ALBERTUS STEINHEIL Lt.
Sereniſſ. Principp. Palatine Sponheim. nec non Lib. Equeſtri Ordini infer. Alſat. à Conſiliis.

QVOD DEVS BENE VORTAT!
DE FIRMAMENTIS CONVENTIONVM PVBLICARVM, COMMENTATIO.

PROLEGOMENA.

FActurusne operæ pretium ſim, ſi firmamenta conventionum publicarum commentatione Academica perſcripſerim; nec ſatis ſcio: nec ſi ſciam dicere auſim. Quippe qui quum veterem tum vulgatam eſſe rem videam, dum qui ad ſcribendum animum appellunt, dignum aliquid lectorum ſtudio allaturos ſe, aut ſcribendi arte gratiam apud literatos homines inituros credunt. Utcunque erit, juvabit nobiliſſimæ materiæ illuſtramento pro virili parte & me ipſum conſuluiſſe, & ſi in tanta illuſtriſſimorum ſcriptorum turba mea fama in obſcuro ſit, nobilitate ac magnitudine eorum, meoqui nomini officient, me conſoler. Perplexa eſt præterea tractatio, quæque maximam partem ad eos pertinet, quîs in proximo ſibi faſtigio collocatis DEVS

ſummum rerum judicium & jus ac arbitrium inferioribus di-ctandi leges conceſſit, aliis ſolam obſequii gloriam relinquens: & legentium pleriſque nullus dubito, quin dicta juvenis nec ſatis ingenio firmati, nec dicendi facultate pollentis, necdum à rerum maximarum uſu inſtructi, quaſi dempto pondere, minus præbitura voluptatis ſint; ſeris venire uſum ab annis, atque res magnas non niſi à magnis & ſubactis ingeniis exponi cum fructu poſſe contente dicentibus. Sunt etiam & ii quidem aliarum diſciplinarum, non admodum expertes, quibus totum hoc JURIS UNIVERSALIS diſplicet ſtudium, qui ſibi primum, deinde aliis perſvadere conantur, ex ſolo jure Romano Cæſareo Pontificioque omnes cauſarum figuras decidi poſſe; (1) quiq; ejus apices atque capita æque tenet ac ſuos ungves, ſolum eum dignum eſſe, qui Principi maria ac terras populosque regenti in conſilio adeſſe aut adminiſtrandæ Reipubl. præfici debeat; tametſi nullo idonearum artium inſtructu, nulla rerum civilium cognitione, nulla gubernandæ civitatis peritiâ ejus ingenium ſublevetur. Quidam autem non id tam reprehendunt, ſi remiſſius, vel in aulis agatur: ſed tantum ſtudium tamque multam operam in ſcholis in eo non ponendam arbitrantur. Contra quos omnes breviter dicendum exiſtimo, me non tam longas ſpes inchoare, ut hoc genus ſcripturæ & hoc novitium Camoenis Quiritium opus natum apud me proxima ſœtura futurum perſonis eorum dignum credam,

1) Vid. Joh. Arze ab Otalora de nobilit Hiſp c. 5. n. 5. in Oc. jur. A Gent. l. de nupt. c. 6. & l. l. de jur. bell. c. 3.

Quorum operâ in bello, in otio. in negotio,
Suo quisque tempore uſus eſt ſine ſuperbiâ. (2)

2) Terent. Prolog. Adelph.

Commentationem enim ſpripſi Academicam; neq; adeo me pœnitet, nullũ feſtiviorem excogitaſſe titulum. Nec diffitemur multa eſſe quæ nos præterierint. Lapſis autem ipſe Prætor (3) auxilium promittit & adverſus captiones opitulationem. Tu, qui in ipſo rerum actu verſaris, mi Lector, cum hanc operam

3) L. 1. pr D. de minor.

con-

condicerē, ut cum Plinio (4) te alloquar, non eras in hoc albo. Hæc doctiſſimum Perſium legere nolo, Lælium Decimum volo. Quod ſi hoc Lucilius, qui primus condidit ſtyli naſum, (agnoſcis & hoc Plinianum verbum) dicendum ſibi putavit: ſi Cicero extra omnem ingenii aleam poſitus mutuandum, prælertim cum de republica ſcriberet: quanto nos cauſatius ab aliquo judice defendimur? Quæ de privato jure objici poſſunt, ea pridem ante nos David Mevius (5) legū prudentum Germanorum coryphæus confecit, cujus nos verbis in præſentia libenter utimur. *Quam multa ſunt*, inquit ille, *quæ orbis olim & hodiè in actionibus atque moribus frequentat, quorum nihil eſt in iſtis libris, & tamen neceſſaria ad Jurisprudentiam cognitionis. Nullibi tamen magis* (idem JCtus ſcribit) *ſe oſtendit Jurisprudentiæ inpar iſtorum librorum tenor, quam ubi cum aliis, atque qui ejusdem imperii ſocietatisque civilis non ſunt, quæſtiones de jure intercedunt. Qui licet nobiscum concordent, in juris neceſſitudine conſiſtere controverſiarum finem, attamen illud quod Romanorum Cæſarum vel Pontificum libris continetur, ad iſtum non perinde admittunt, ſed ultra quærunt & adhiberi volunt. Et licet vel ipſas in forum receperint, ut normam juſti & æqui, tamen cives ibi ſaltem juxta illas judicari volunt, non ſua cum exteris ita terminari; aliter quà hos juſta cenſenda & ſtatuenda eſſe putant. Ex quo fit, ut cum JCti, qui magna alias utriusque Romani juris ſapientia clarent, negotiis publicis Regum, Principum, Civitatum adhibentur, quam domi ſuæ conſultiſſimi atque ad reſpondendum dictandumq; e jure excellentiſſimi habentur, tam, dum foras ſic agunt, jus jactant, per regulas ſui juris alios convincere intendunt, non audiantur, inepti fiant, aliquando irrideantur, ſeque non modo, ſed juris prudentiam quoque, quam oſtentant, contemtam reddant. Unde profectum eſt, quod in dicterio habetur:* meros legiſtas eſſe puros aſinos. Idem ſentiunt immortalis gloriæ Viri, Fernandus Vasquius, (6

4) Præf. in H. N.

5) Præfat. in Nucl. J N. & G.

6) l. 1. contr. Ill. c. 51. n. 31.

 Hugo

7) l. 2. de J. B. & P. c. 16. §. 13. add Thuan. l. 81. histor. ad A. 1585.
8) l. II. de fin. Imp. c. 19. §. 3.
(9 Præfat. ad not. in H. Grot. d. l. B. & P.
10) tit. D. de damn. infect.
11) L. ſi cui la-na 70 §. 9 D. de Legat. 3.

Hugo Grotius, (7) Herman. Conringius, (8) & JCtiſſimus Zieglerus (9) qui & ſeculi noſtri labem hanc eſſe exiſtimat, quod in Academiis ad leges Romanas ita aſſuefieri cogantur juvenes, ut in omni controverſia, etiam ubi inter ſummos Principes lis vertitur, non aliunde deciſionem petendam credere oporteat, quam ex Jure Romanorum & legibus iſti uni Reip. vel Hierarchiæ accomodatis. Non enim de ſuggrundis & protectionib⁹ (10) temere paciſcuntur Reges, non de jure fundi, non de lana caprina, anſerina, leporina, (11) quarũ rerum controverſiis pleni ſunt JCtorũ libri; ſed ea tractant, quæ prudenter diſputata otium gentibus conſtituere, dignitatem imperii conſervare, terminos proferre poſſunt. Ex his tamen ipſis evidentiſſimè apparet, quanta ſit Jurisprudentiæ rectè traditæ laus, qui eam ſequatur honor, quæ præmia. Fuit autem ab omni ævo nobiliſſima Jurisprudentiæ pars habita ea, quæ rationem formulasque præſcriberet, juxta quas caute provideque homines contraherent, paciſcerenturque. M. Cicero: (12) *in jure cavere, conſilio juvare atque hoc ſcientiæ genere prodeſſe quamplurimis, vehementer & ad opes augendas pertinet & ad gratiam.* Idem: (13) *Pragmatici homines, omnibus hiſtoricis præceptis, verſibus denique cavere jubent, & vetant credere.* Quin imò peritiam cavendi in definitione JCti non omittendam putavit apud eundẽ Ciceronem (14) Antonius: *Si quæreretur,* inquit *quisnam JCtus verè nominaretur? eum dicerem, qui legum & conſuetudinis ejus, qua privati in civitate* (addo, & illi, qui in ſtatu naturali vivunt) *uterentur & ad reſpondendum, & ad agendum & ad cavendum peritus eſſet.* Et privati quidem juris periti egregiè provinciam ſuam adminiſtraverunt. Modeſtin⁹ (15) ſub Gordiano circa annum D. 240. ſcripſit librum ſingularem de *Eurematicis* i. e. conſiliis & cautionibus excogitatis ab ipſo rei jurisque cuique ſui tuendi cauſa, unde in *L. Servus dotalis, 58. Sol. matr.* ait, conſulendum eſt; & in *L. Qui*

12) Cic. de Orat. 1.
13) ad Att. l. 2. ep. 20.
14) Cic. de Orat. 1.
15) Cujac. 12. O. 32.

Qui totam. 45. ad SCt. Trebell. ſualerim, in *L. Si tutor. 9. de ſuſpect. tut.* optimum factum eſt. Sunt præterea ex hoc εὑρηματικῶν libro excerptæ aliæ leges multæ. (16) *Hujusmodi* libros JCti poſteriores vocarunt *cautelas*. Cautelas has alii magno numero in prælectionibus, quidam in reſponſis, nonnulli in conſiliis tradidere: peculiari opera perſcripſerunt ante exactam barbariem Joh. de Deo JC *Hiſpanus*, Nepos de Monte Albano aliique, quorum numerum iniit Gerardus Stoeckius; (17) renaſcentibus litteris, Bartholomæus Cæpolla JC. Veronenſis, noſtra demum memoria V. C. Samuel Stryckius *Hallenſis* Studii Generalis decus ac ornamentum, ſcito & utili *de cautelis contractuum* libello. Qui idem in jurisprudentia univerſali præſtiterit, videre hactenus contigit neminem. *Hugo* Grotius, vir eminentiſſimæ eruditionis & ingenii prope divini multa, quibus hoc argumentum illuſtrius reddi poteſt, carptim collocavit in æterno *de Jure Belli & Pacis* opere, cumque invidenda felicitate ſecutus illuſtris Pufendorfius, libris octo *de Jure Naturæ & Gentium*: partes quasdam ſingulatim executi ſunt viri ſummi ac de Republica literaria æque ac civili immortaliter partim meriti, partim quotidiè merentes, quos ego ſæpè in diſſertatione honoris cauſa nomino; univerſim ac certo ordine, quantum ſcio, nemo unus expoſuit: cum tamen id fieri interſit humani generis. Sicut enim homini in ſtatu naturali viventi propter ſummam juris & virium æqualitatem in actionibus omnibus expedit eſſe tardum lentumque; ſic in fide & aſſenſu. Ut intentus, inquam, ſuſpenſusque ambulet, & pæne dixerim, ut *oculatas ſemper manus habeat, nil credat quod non videat.* (18) Etſi enim *credulitas error eſt magis quam culpa & quidem in optimi cujusq; mentem faciliime irrepit:* (19) tamen à Principibus removenda ea longiſſime, quod *frequentius conventionum pacisque ſimulationem credulis, quam arma nocuiſſe* omnis ævi hiſtoria teſtatur. (20) Nonne pro omnib' illi

16) L. 65. de Procurat. L. 25. ad Sc. Velleja. L. 63. de jur. dot. L. 4. de vulg. & pup. ſub. L 50. de acqu. vel om. hered. L. 19. de uſ. & uſu. fr. leg. L. 53. de condit. & demonſtr.

17) von Stůden Pr. ad Cæpoll. de Cautelis.

18) Plaut. Aſin A 1. S. 3.

19) Cic. X. Epiſt. 23. pr.

20) Veget. de Remil. III. 3.

21) Cic 1. off. 6. illi excubant? Turpe igitur & omnibus noxium illos (21) *labi, errare, decipi.* Heus Tu, cui generis humani tutelam credidit
21) Cic. ad Att. I. ep. 19. DEVS, GENS REGNATRIX, Tibi vafer ille Siculus inſuſurrat Epicharmus (22) cantilenam illam ſuam:

Νῆφε, καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν: ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν.

Vigila, & memor es, ne quid credas: nervi ſunt prudentiæ.

23) Euripid. in Helena v. 1633. Clamat alter (23) a Græcia:

σώφρονος ἀπιστίας
οὐδ' ἐστὶν ἄλλο χρησιμώτερον βροτοῖς:

ſapiente diffidentia
Non alia res utilior eſt mortalibus.

Neque ſic tamen ſemper ad fraudes tectum eſſe licet.

Qui cavet, ne decipiatur, vix cavet, cum etiam cavet,
24) Plaut. Capt. 2. 2. v. 6 *Etiam cum caviſſe ratus eſt, ſæpe is cautor captus eſt.* (24)

25) Phœdrus l. 3. Fab. 11. Quid ergo? inquies, plane deſperandum de natura mortalium? Nulli credendum? Nemo hoc facile ſuaſerit.

Periculoſum eſt credere & non credere, (25)

Itaque quid ratio conſiliumque circa conventiones publicas ſuadeant, quid vetent, indagare, quidque in ipſis obtineat rerum argumentis, annalium actorumque fide exponere, & quæque ſuo ordine, non inſubidum facinus aut incivile æquis rerum æſtimatoribus videri exiſtimavi. Qui autem, ſi maxime hoc placeat, moderatius id minimeque in Academiis volunt fieri, difficilem temperantiam requirunt in eo, quod ſemel jam miſſum coercitu ac repreſſu difficilimum eſt: ut propemodum juſtioribus utamur illis, qui omnino avocent ab hoc genere ſtudiorum, quam iis, qui rebus quæ ſæpe modum non habent, modum conſtituant: in req; eo meliore, quo major ſit, mediocritatem deſiderent. Sive enim ad iſtam prudentiam perveniri poteſt, & in ipſis gymnaſiis, quæ omnium bonarum diſciplinarum quidam quaſi mercatus eſſe debent, viam, qua ad eam itur, emunctæ naris homines ſibi muniunt,

niunt, neque paranda nobis ſolum, ſed fruenda etiam eſt prudentia: ſive difficile eſt & plenum moleſtiarum ac ambagioſum; tamen nec modus eſt ullus inveſtigandarum pulcherrimarum rerum, niſi repereris: & inveſtigandi defatigatio turpis eſt, cum id quod quæritur, ſit pulcherrimum. Etenim ſi afficitur quis ſenſu quodam & voluptate cum ſcribit; quis tam pronus ad invidiam eſt, ut ab eo eum abſtrahat? ſin laborat: quis eſt qui alienæ modum ſtatuat induſtriæ? Nam, ut Terentianus ille Chremes non inhumanus novum vicinum non vult

Fodere, aut arare, aut aliquid ferre denique; (26) 26) Terent. Heavt. Act. 1. Sc. 1.

non enim illum, ut Tullius (27) noſter ait, ab induſtria, ſed ab illiberali labore deterret: ſic iſti curioſi, quos offendit noſter minime nobis injucundus labor. Sed hæc & his ſimilia, utcunque animadverſa, aut exiſtimata erunt, haut in magno ponam diſcrimine. Ceterum, aut me amor ſuſcepti negotii fallit, aut nullum argumentum illuſtrius, nullum inſtituto meo convenientius eligi potuiſſe autumo. Enim vero ut ſpecimen aliquod ederem locati in Aldorfino, Lugdunenſi & Giſſenſi Lyceis temporis, a me ii contenderunt, qui apud me & amicitia & beneficiis & dignitate plurimum poſſunt; quorum ego neque benevolentiam erga me ignorare, nec auctoritatem aſpernari, nec voluntatem negligere debebam. Acceſſit juſſus optimi ſanctiſſimique Genitoris, cujus nutus mihi pro imperio ſufficit. Et cum jam jam in hac palæſtra defenderim themata quædam, propoſita vocat Cicero, quæ præcipue ad jus publicum in Germania uſurpatum attinent, alterum *de obligatione Regis Romanorum*, occaſione Proœmii Capitulationis Joſephi, Præſide V. C. Friderico Nitzſchio, alterum *de Diplomatis Germaniæ Imperatorum ac Regum*, Præſide V. C. Joh. Nic. Hertio, utroq; JCto Giſſenſi longe celebratiſſimo; additis ex divino humanoque jure omni quibusdam

27) l. de b. fin. & mal. c. 1.

dam

dam ἐμμέτροις; id deinde negotii mihi dari credidi, ut argumentum magis catholicum pertractandum ſuſciperem; idq; in ſolemni & INAVGVRALI, quam vocant, DISPVTATIONE, *exantlatis examinibus publicis omnibus*, quæ ſubire ſolent ii, qui ad ſummos in VTROQVE JVRE honores & DOCTORATVS dignitatem evehuntur, palam, levato velo atq; *ſine Præſide*, quod ajunt, tuerer. Hoc cum mihi per Ampliſſimum in Alma hac Ludoviciana Vniverſitate JCtorum Ordinem licere perſpexi, diu multumq; deliberavi, in quonam argumento ingenium induſtriamque exercerem meam: ac dum in dubio eſt animus, ut fieri aſſolet, paulo momento huc illuc impellitur. Cœpi tandem mecum ita cogitare: cum Hagæ Comitis ea tempeſtate egiſſem, qua de pace inter Chriſtianiſſimum Galliarum & Navarræ Monarcham & pleroſque Europæ Principes ac Reſpublicas ab excellentiſſimis & prudentiſſimis oratoribus, quorum mihi non paucos coram vereri licuit, concilianda conſultaretur, mihi quoq; iſtius temporis atque profectionis rationem eſſe reddendam. Itaq; de conventionibus publicis ſcribere animus erat Diſſertationem, qua earum ineundarum, interpretandarumque rationem vel jure naturæ vel moribus populorum inductam exponerem, reſpectu ſemper habito ad noviſſimam iſtam pacem in arce Neoburgo Ryswyci in Hollandia concluſam; qua non jam revireſcit ſolum, ſed etiam floret terrarum Orbis. Sed cum in nimiam amplitudinem adoleſceret opus, accedente ſuaſu viri cujusdam clariſſimi ampliſſimique, cujus me in magno ære eſſe publice profiteor ac lubens, partem tantum eam, quæ ad firmamenta attineret, exponere aggredior. Auctorum quibus uſus ſum, ſemper nomina prætexui: nec tamen cujusquam temere, niſi probe inſpecti. Eſt enim benignum, ut arbitror, & plenum ingenui pudoris fateri per quos profeceris: obnoxii contra animi & infelicis citandis Bartolis, Baldis, Alexan-

Plin. præf. in H. N.

dris

dris, Barbatiis cum Dominii etiam (ſi Diis placet) præfatione, etiamſi nunquam videris, illudere velle indoctis ſtupentique turbæ. Id me labori intentum male habuit, quod quidam libri deeſſent, qui heic utramque paginam facere debebant. Hos inter eminet eximium *opus* (28) *conventionum inter Galliæ Reges & omnes fere orbis terrarum Principes ac Respublicas initarum à Caroli VII. regimine usque ad feliciſſimum Imperium LVDOVICI XIV. SVPRA OMNE ID QVOD DICI POTEST MAGNI.* Edidit id VI voluminibus Fridericus Leonhardus primarius REGIS & SERENISSIMI DELPHINI Typographus ex grammatophylaciis Regiis, item Bibliotheca Regia, Camera Computorum Pariſienſi, Inſulana, ubi aſſervantur plurima diplomata & inſtrumenta Domus Burgundicæ, & Nanetenſi, ex arcanis Amicorum Regiorum, Purpuratorum, Legatorum ſcriniis & inſtructa penu libraria Dionyſii, Theodori & Jacobi Gothofredorum, cum doctiſſima & omnis civilis prudentiæ plena illuſtris viri Amelotti *Huſſæi* (29) præfatione. Inſpiciendi libri copia mihi facta eſt Argentorati a viro quodam conſultiſſimo, & qui omnes Muſarum genios faventes habet. Quædam mihi excerpere licuit, multa ob alias curas non licuit. Sic quoque librum quem *de contractibus publicis*, celeberrimo Schiltero (30) referente, JC. *Hiſpanus* Petrus Manriqué Melgarexo Granatæ 1652. foras dedit, etiam non indiligenter quæſitum non vidi; in quo tamen an multa valde ad hoc argumentnm facientia contineantur, fateor me ſcire cum ignariſſimis. Sed quid opus eſt verbis? Querelæ nunquam gratæ certe ab initio ordiundæ rei abſint. Cum bonis potius ominibus votisque ac precationibus DIVINI NVMINIS, ſi, ut Poetis, nobis quoque mos eſſet lubentius inciperemus, ut cœptis ſucceſſus proſperos daret.

28) Traitez faits entre les Rois de France & tous les Princes de l'Europe depuis le regne de Charles VII.

29) Amelot de la Houſſaye, diſcours hiſtorique.

30.) l. 3. Inſt. Jur. Publ. tom. 1. t. 3. §. 2.

CAPUT I.

Vocabulorum explicatio, definitio conventionum publicarum & diviſiones.

SUMMARIUM.

§. I. Introductio.
§. II. Quid Firmamentum & quæ ejus Synonyma? Sitne vocabulum ſatis latinum? De verbo firmare.
§. III. Quid conventio?
§. IV. Quotuplex? Privata & publica. PUBLICÆ CONVENTIONES quæ? Exempla.
§. V. DEFINITIO.
§. VI. DIVISIO I. aut ad BELLUM aut ad PACEM pertinent. Pax etiam eſt in ſtatu naturali.
§. VII. AD BELLUM. Suntque vel *præparatoriæ* ad pacem, ut conventiones præliminares.
§. VIII. De arbitrio, ſorte, certamine ſingulari.
§. IX. *Vel ſtatum belli tollunt*, ut Pactiones pacis,
§. X. Vel *relinquunt temperantque*, ut Induciæ, armiſtitia,
§. XI. Conventiones de commeatu.
§. XII De redemtione & permutatione captivorum, ſalva guardia, lytro incendiario.
§. XIII. AD *PACEM*. Vel *tollunt ſtatum Naturalem*, ut conventio ſummi Imperii translativa, quæ aſſeritur contra Hobbium aliosque, remiſſive.
§. XIV. Amneſtia poſt bellum civile,
§. XV. Pacta matrimonialia Principum inter ſe,
§. XVI. Vel *relinquunt*, puta Fœdera quæ

quæ dividuntur. (1.) *ab objecto*, quod alia ad commercia, alia ad communitatem belli, alia ad alias res ſpectant.
§. XVII. (2.) *A formâ*, in æqualia & inæqualia.
§. XVIII. DIVISIO II. ratione cauſæ efficientis in EAS, QVÆ καθ' ἐξοχὴν TALES ſunt & SPONSIONES.
§. XIX. DIVISIO III. in REALES & PERSONALES.
§. XX. Partitio dicendorum.

§. I.

SI in foro cauſas dicentibus nefas propemodum videtur eſſe, nulla præfatione facta, judici rem exponere: quanto magis interpretationem promittentibus inconveniens erit, omiſſis initiis, naturaque conventionum publicarum non explicata, atque illotis, ut ita dixerim, manibus, protinus materiam firmamentorum tractare? *Namque*, ut Gaji [a] noſtri verbis utar, *niſi fallor, iſtæ præfationes & libentius nos ad lectionem propoſitæ materiæ producunt: & cum ibi venerimus evidentiorem præſtant intellectum.*

§. II. *Firmamentum* & continens cauſæ dicitur latine, [b] quod vulgo punctum litis deciſorium vocant. Quintilianus: [c] *Συνέχον autem quod continens alii, firmamentum alii putant. Cicero firmiſſimam argumentationem defenſoris & appoſitiſſimam ad judicationem. Quibusdam id videtur eſſe, poſt quod nihil quæritur: quibusdam id quod ad judicationem firmiſſimum affertur.* Meminit & Cicero in de *partitione oratoria dialogo*. *Firmamenta membrorum* pro nervis & muſculis dixit A. Gellius. Tralatitium eſt, Phyſicis ſumi pro cœlo ſtellarum fixarum. Nobis idem eſt ac ſtabilimentum roburque muniendis ac firmandis conventionibus additum. Polybius [d] [illegible] πίστεως, iſt eſt *vincula fidei, pignus fidei* Pomponius Mela [e] elegantiſſime appoſitiſſimeque dixerunt. Atque hoc ſenſu priſci ac caſtiſſimæ latinitatis ſcriptores ea voce perſæpe utuntur.

a) L. 1 D. de Orig. Jur.
b) Budæus Annot. in Π pag. 129.
c) l. 3. J. O. c. 13.
d) l VIII. Hiſtor. c. 2.
e) de ſit. orb. l. II. c. 3.

utuntur, Cicero paſſim. In Lælio: *Firmamentum ſtabilitatis ejus, quam in amicitiis requirimus, eſt fides.* Ovidius habet *firmamen X.* Transformationum.[f] item apud Tacitum[g] eſt, *Firmator Pacis*: apud Plinium Juniorem[h], *Firmator diſciplinæ*: in Comœdia *firmare fidem*:[i] Cicero[k] *firmare imperium*; *firmare dotem* Terentius:[l] *pacem firmare*, Cæſar:[m] *firmare fœdera* Virgilius[n]: *firmare amicitiam* Tacitus, idem[o] *firmare concordiã* dixit. In lege *Prior. 5. C. qui pot. in pign.* eſt: *Pignoris cauſa firmabitur*, in *L. Ex verbis 14. C. de donat. int. V. & V. firmare dominium*, *in L. Sicut. 17. ad L. Cornel. de falſ. firmari intervallo temporis ſcriptura Firmatur legatum* Vlpianus *ait*[p]: *firmari tabulæ* Hermogenianus.[q]

f) v. 491.
g) II Annal.
h) I X Ep. X. & XXVIII.
i) Ter. Hec. Act V. ſc. 1.
k) pro Sylla c XI.
l) Heav. V. ſc. V.
m) IV. B. Gall. c. 28.
n) XI. Æneid v. 330 & XII. v. 212.
o) Ann. II, 1, 2. Ann. III, 27, 1
p) Tit. 25.
q) L. 14. § 3. ad Sc. Trebell.

§. III. *Conventionis* verbum generale eſt ad omnia pertinens, de quibus negotii contrahendi tranſigendique cauſa conſentiunt, qui inter ſe agunt: nam ſicuti convenire dicuntur, qui ex diverſis locis in unum locum colliguntur & veniunt, ita & qui ex diverſis animi motibus in unum conſentiunt, id eſt, in unam ſententiam decurrunt. Adeo autem conventionis nomen generale eſt, ut eleganter dicat Pedius, nullum eſſe contractum, nullam obligationem, quæ non habeat in ſe conventionem. Vlpiani verba ſunt in *L. Hujus Edicti 1. §. 3. D. de Pact.*

§. IV. Conventiones idem JCtus[r] *aut ex publica cauſa fieri*, ait, *aut ex privata.* Quem ſecutus *Harmenopulus*,[s] pacta ſunt, ait, ἢ δημόσια ἢ ἴδια, id eſt, *aut publica aut privata.* Publicam conventionem expoſuit Vlpianus, non, ut quidam putant, definitione, ſed exemplis additis, *quæ fit per pacem*, quod primum exemplum eſt: *quotiens inter ſe Duces belli quædam paciſcuntur*, quod ſecundum. Idque clare Harmenopulus[t] docet: τὰ παρὰ ἐξουσιαστῶν καὶ ἡγεμόνων ἐθνῶν πρὸς εἰρήνην τυχὸν, ἢ ἄλλο τι τοιοῦτον, hoc eſt, *Publica conventio eſt, quæ per Principes fit, aut belli duces, veluti ad pacem aut quid tale.* Quod

r) L. Conventionum 5. D. de Pact.
s) 1. Harmenop. 9. §. 2. 11 Eclog. 1. c. 9.
t) 1. Harm. §. 9. 4.

Quod ideo adſcribendum ait Dionyſius Gothofredus u ne quis publicam conventionem reſtringat ad ſolos belli Duces, aut ſolam pacis conventionem.

u) ad l. 5. D. de pact.

§. V. Publicæ conventiones ſunt, *quæ fiunt inter perſonas publicas, quà tales ſunt.* Perſonæ autem publicæ & naturales ſunt & myſticæ; Principales & repræſentativæ. Qua nota * differunt non modo à legitimis conventionibus privatorum, ſed & à conventionibus perſonarum publicarum cum hominibus privis aut circa negotia privata. Comprehendit præterea hæc generalitas omnia conventionum genera, de quibus agendum deinceps: quod minime puto præſtare definitionem *Hugonis* Grotii, qui publicas conventiones eas intelligit, quæ *niſi jure imperii majoris aut minoris fieri nequeunt.* Nam quando populus pacto primo colligatus transfert ſummam poteſtatem, haut dubie conventio publica intercedit, nec fit tamen illa jure Imperii. Inter eos etiam qui verſantur in ſtatu naturali, nihil fieri jure Imperii naturalis indicat hominum æqualitas.

* *quà tales ſunt.*

Grot. l. 2. de J. B. & P. 15. §. 1.

§. VI. Conventiones publicæ aut AD BELLI, aut AD PACIS TEMPORA pertinent. Διῄρηται γὰρ πᾶς ὁ βίος εἰς ἀσχολίαν καὶ εἰς σχολὴν, καὶ πόλεμον καὶ εἰρήνην. id eſt. *Dividitur enim omnis vita in negotium & otium, bellum & pacem*, ait Philoſophus x & Libanius *progymn.* δύο καιροὶ πάντα διαλύουσι τὰ τῶν ἀνθρώπων πράγματα, λέγω δὴ πόλεμον καὶ εἰρήνην. *Sunt tempora duo penes quæ totius vitæ eſt arbitrium, nempe pacis & belli.* Belli autem vocabulo non actionem, neque pacis nomine pactum vel conventionem heic ſignificamus: Bellum enim eſſe poteſt, etiamſi non ſit continua concertatio, & pax, ubi bellum non præceſſit. Itaque pax æque ac bellum non ad civitates modo ſed & ſtatum naturalem omnem pertinere poteſt. Per ſtatum naturalem intelligim' conditionem hominum inter ſe æqualium neminisque alterius præterquam Dei & divinarum le-

x) VII. Pol. 14.

gum arbitrio ſubjectorum, ita appellatum *H.* Grotio [u] & *Hob*bio, [x] qui eum & *libertatis ſtatum* nominat. *H*oc in ſtatu homines fere omnes ante conſtitutas ſocietates, poſtea patres familiarum ſegregum vixiſſe; vivere etiamnum, civitate in anarchiam delapſa, diſſociatā multitudinem, in qua Nomadum more ἀκούει οὐδὲν οὐδεὶς οὐδενὸς,

Nullus nulli in nullo paret,

ac conſtitutis civitatibus earundem moderatores, quid vetat vel ſupponere, *dummodo res non ſit* ἐκ τῶν ἀδυνάτων, vel manifeſta imagine deprehenſā, rem prout eſt, ita eam efferre? *H*unc Thomas *H*obbius [y] etiam *hoſtilem* vocat: non male, ſi ad id, quod in eo plerumque fit, reſpicit; peſſime, ſi eum jure talem & omnem ſtatum extra ſocietatem non bellum modo ſed & *bellum omnium adverſus omnes* putat: id enim ita, uti ab ipſo effertur acceptum ſubſiſtere non poſſe putamus cum natura hominum ſociali; quod adeo à multis, licet fortaſſe non ſemper ſat validis, quibus oportuit, armis propulſatum eſt.

§. VII. Conventiones in bello uſitatæ vel faciunt *præparationem ad pacem, vel belli ſtatum tollunt*, vel *relinquunt*, ſed aliquatenus *temperatum*. Præparationem ad pacem continent tractatus & *concluſiones præliminares*, quarum nomen, teſte Priolo, [z] dum tractat' pacis Germanicæ poſtea Monaſterii & Oſnabrugi concluſæ inſtituerentur, uſurpari cœpit. Sunt iſtæ *conventio ſuper iis, quæ expedienda ſunt, antequam ad tractationem de conditionibus pacis accedant paciſcentes.* Eas ad pacis univerſalis tractationem *quoddam præparatorium* vocat Leo ab Aitzma [a]; latinius Priolus [b] *primos pacis apparatus*, *anteceſſiones & proſcænia* Alexander Erskein. [c] Germanice Fürbereitungen dixere legati Suecici, [d] Vortractaten Bioerenclavius [e] item *Initional*-Friedens-Handlungen. Quæ ut plurimū eæ conventiones capita contineant, videre eſt ex *demonſtratione* [f] *Suecorum* [g] *de negotiis præliminaribus inter Suecos & Polonos*

u) II. de J. B. & P. c. 7. §. 27.
x) c. I. de Cive §. 10.
y) c. 1. de cive §. 19.
z) X. de reb. Gall. 3.
a) Hiſt. Pac. Belg. p. 240.
b) de reb. Gall. n 3.
c) Arm. Suec. in Diar. Europ. P. IV. p. 412.
d) Th. Europ T. V p. 568.
e) P. I. D. E. p. 434
f) Th. Eur. d T V. p. 11.
g) Diar. Eur. P. 4. p. 10

lonos §. 10. Conventio de loco, tempore & ſecuritate præliminarem rem abſolvit, de Plenipotentiis & modo agendi in tractatu inter partes, nunc in præliminari negotiatione, nunc in loco principalis negotiationis tractari ſolet. Cujus utriusq; rei exempla in promptu ſunt. Eſt, ubi de *numero comitum & famulitii*; eſt, ubi de *conditionibus ſine quibus non* conſenſura eſt alterutra pars in pacem, & de ſimilibus in præliminaribus agatur. Formulam præliminaris inter Cæſareos & Gallos Suecosque Initæ in conventu Hamburgenſi $\frac{15}{25}$ die Decembris Anno 1641. pactionis exhibet Leo ab Aitzma [h] ac ſubjungit [i] *Exemplum maximi ponderis Articulorum, qui priusquam cum hoſtibus induciarum Pacisve tractatio aliqua inſtitueretur decernendi confirmandique forent.* Articulos præliminares Pacis generalis Ryswicenſis ex Protocollo legati Mediatoris Suedici lege ſis in libello, cui lemma eſt: *Actes & negotiations de la Paix conclue à Ryſvvick.*

h) Hiſtor. P. Belg. p. 250.
i) p. 262.

VIII. Huc referri poſſunt 2. *Compromiſſa*, ſi bellantibus placuit ἐπιτρέπειν πόλει τινὶ ἴσῃ καὶ ὁμοίᾳ, *arbitrium permittere alicui civitati æquæ utriq; parti,* [k] hominive, ſpreta quidem plerumq; potentioribus via, qui fere,

Non ex jure manu conſertum, ſed mage ferro
Rem repetunt, [l]

ſed valde laudata. Polus apud Thuanum [m] optimum factũ ſibi videri dicit ut *controverſiæ ad arbitros, de quibus partes conveniant, remittantur.* V. eund. de controverſia Dano Suedica [n] per arbitros compoſita, Stradam [o] de Rudolpho Arbitro inter Belgas & Hiſpanos, Metter. l. XXX. *de Pacificatione Vervinia-na.* Paces per arbitrum factas habes aliquammultas in Polonica Hiſtoria Cromeri. [p] Habes & in Danica Pontani [q] habes & apud Thuanum (Vid. H. Grotius *libro II. de J. B. & P. c. 23. §. 8. & præcipue in notis*) & apud Leibnitium. [s] Alia idẽ [t] compromiſſa recenſet & lauda [u] Sunt autem in arbitrio ſive compromiſſo duo

k) Iſocrat. orat. adverſ. Cteſiph.
l) Enn. apud Cic. & Lact.
m) XV. Hiſt.
n) l XLV.
o) II. Hiſtor. Belg Dec. 2.
p) l. X. XVII. XVIII. XXI. XXIV. XXVII. XXIIX.
q) l. 11 r) l. 61.
s.) C. D. J G. in Prod. Diplom. XVI.
t) Dipl. 14. 33. 69 & 70. u) dipl. 1 7.

gum arbitrio ſubjectorum, ita appellatum *H.* Grotio [v] & *Hob*bio, [x] qui eum & *libertatis ſtatum* nominat. *Hoc* in ſtatu homines fere omnes ante conſtitutas ſocietates, poſtea patres familiarum ſegregum vixiſſe; vivere etiamnum, civitate in anarchiam delapſa, diſſociatā multitudinem, in qua Nomadum more ἀκύει ὐδὲν ὐδεὶς ὐδενὸς,

Nullus nulli in nullo paret,

ac conſtitutis civitatibus earundem moderatores, quid vetat vel ſupponere, *dummodo res non ſit* ἐκ τῶν ἀδυνάτων, vel manifeſta imagine deprehenſā, rem prout eſt, ita eam efferre? *Hunc* Thomas *H*obbius [y] etiam *hoſtilem* vocat: non male, ſi ad id, quod in eo plerumque fit, reſpicit; peſſime, ſi eum jure talem & omnem ſtatum extra ſocietatem non bellum modo ſed & *bellum omnium adverſus omnes* putat: id enim ita, uti ab ipſo effertur acceptum ſubſiſtere non poſſe putamus cum natura hominum ſociali; quod adeo à multis, licet fortaſſe non ſemper ſat validis, quibus oportuit, armis propulſatum eſt.

§. VII. Conventiones in bello uſitatæ vel faciunt *præparationem ad pacem, vel belli ſtatum tollunt*, vel *relinquunt*, ſed aliquatenus *temperatum*. Præparationem ad pacem continent tractatus & *concluſiones præliminares*, quarum nomen, teſte Priolo, [z] dum tractat⁹ pacis Germanicæ poſtea Monaſterii & Oſnabrugi concluſæ inſtituerentur, uſurpari cœpit. Sunt iſtæ *conventio ſuper iis, quæ expedienda ſunt, antequam ad tractationem de conditionibus pacis accedant paciſcentes.* Eas ad pacis univerſalis tractationem *quoddam præparatorium* vocat Leo ab Aitzma [a]; latinius Priolus [b] *primos pacis apparatus*, *anteceſſiones & proſcænia* Alexander Erskein. [c] Germanice Vorbereitungen dixere legati Suecici, [d] Vortractaten Bioerenclavius [e] item *Initional*-Friedens-Handlungen. Quæ ut plurimū eæ conventiones capita contineant, videre eſt ex *demonſtratione* [f] *Suecorum* [g] *de negotiis præliminaribus inter Suecos & Polonos*

v) II. de J. B. & P. c 7. §. 27.
x) c. I. de Cive §. 10.
y) c. 2. de cive §. 19.
z) X. de reb. Gall. 3.
a) Hiſt. Pac. Belg. p. 240.
b) de reb. Gall. n 3.
c) Arm. Succ. in Diar. Europ. P. IV. p. 412.
d) Th. Europ T. V p. 568.
e) P. 1. D. E. p. 434
f) Th. Eur. d T V. p. 11.
g Diar. Eur. P. 4. p. 10

lenos §. 10. Conventio de loco, tempore & ſecuritate præliminarem rem abſolvit, de Plenipotentiis & modo agendi in tractatu inter partes, nunc in præliminari negotiatione, nunc in loco principalis negotiationis tractari ſolet. Cujus utriusq; rei exempla in promptu ſunt. Eſt, ubi de *numero comitum & famulitii*; eſt, ubi de *conditionibus ſine quibus non* conſenſura eſt alterutra pars in pacem, & de ſimilibus in præliminaribus agatur. Formulam præliminaris inter Cæſareos & Gallos Suecosque Initæ in conventu Hamburgenſi $\frac{15}{25}$ die Decembris Anno 1641. pactionis exhibet Leo ab Aitzma [h] ac ſubjungit [i] *Exemplum maximi ponderis Articulorum, qui priusquam cum hoſtibus induciarum Pacisve tractatio aliqua inſtitueretur decernendi confirmandique forent.* Articulos præliminares Pacis generalis Ryswicenſis ex Protocollo legati Mediatoris Suedici lege ſis in libello, cui lemma eſt: *Actes & negotiations de la Paix conclue à Ryſwick.*

h) Hiſtor. P. Belg. p. 250.
i) p. 262.

VIII. Huc referri poſſunt 2. *Compromiſſa*, ſi bellantibus placuit ἐπιτρέπειν πόλει τινὶ ἴσῃ καὶ ὁμοίᾳ, *arbitrium permittere alicui civitati æquæ utriq; parti*,[k] homini ve, ſpreta quidem plerumq; potentioribus via, qui fere,

Non ex jure manu conſertum, ſed mage ferro
Rem repetunt,[l]

ſed valde laudata. Polus apud Thuanum [m] optimum factũ ſibi videri dicit ut *controverſia ad arbitros, de quibus partes conveniant, remittantur.* V. eund. de controverſia Dano Suedica [n] per arbitros compoſita, Stradam [o] de Rudolpho Arbitro inter Belgas & Hiſpanos, Metter. l. XXX. *de Pacificatione Vervinina.* Paces per arbitrum factas habes aliquammultas in Polonica Hiſtoria Cromeri. [p] Habes & in Danica Pontani [q] habes & apud Thuanum (Vid. H. Grotius *libro II. de J. B. & P. c. 23. §. 8. & præcipue in notis*) & apud Leibnitium. [s] Alia idẽ [t] compromiſſa recenſet & lauda [u] Sunt autem in arbitrio ſive compromiſſo duo

k) Iſocrat. orat. adverſ. Cteſiph.
l) Enn. apud Cic. & Lact.
m) XV. Hiſt.
n) l XLV.
o) II. Hiſtor. Belg Dec. 2.
p) l. X. XVII. XVIII. XXI. XXIV. XX II. XXIIX.
q) l. 11 r) l. 61.
s.) C. D. J G. in Prod. Diplom. XVI.
t) Dipl. 14. 33. 69 & 70. u) dipl. 1 7.

ſo duo pacta, unum litigantium inter ſe, alterum cum arbitro.

3. Tertium pactum pacis antecedaneum eſt *de ſorte*: quam in hoc commendat Dion Chryſoſtomus oratione in fortunam altera, & Auguſtinus in *in c. Sors. C. 26. q. 2.* & multo ante Solomon Prov. XVIII, 18. *contradictiones*, inquit, *comprimit ſors, & inter potentes quoque dijudicat.* Eam apud varias gentes receptam eſſe idoneos auctores ſecutus tradit Gonzalez Tellez *ad c. Ecclesia. 3. X. de ſortilegis n. 7.*

4. Quartum eſt pactum *de certamine ſingulari*, cujus uſus Grotio l. 2. de J. B. & P. c. 23. §, 10. non videtur omnino repudiandus, ſi duo, quorum controverſiæ alioqui totos populos graviſſimis malis ſint implicituræ, inter ſe parati ſint armis decernere, qui dicta exemplis legibusque confirmat. Vid. tamen idem l. 3. c. 20. §. 43. & *in notis* Pufendorf. l. 8. de J. N. & G. c. 8. §. 5. Huc pertinet certamen ſingulare inter Davidem & Goliathum. 1. Sam. c. 17. Talis modi conventionis inter Turnum & Æneam initæ formulam conſignavit Divinus Maro Phœbo & Thalia dignis verſibus:

Nuncius hæc Idmon Phrygio mea dicta tyranno
Haut placitura refer: cum primum craſtina cœlo
Puniceis invecta rotis Aurora rubebit;
Non Teucros agat in Rutulos; Teucrûm arma quieſcant
Et Rutulûm: noſtro dirimatur ſanguine bellum,
Illo quæratur Conjux Lavinia campo.

Nec minus interea maternis ſævus in armis.
Æneas acuit mentem, & ſe ſuſcitat ira,
Oblato gaudens componi fœdere bellum.

regiq; jubet reſponſa Latino
Certa referre viros & pacis dicere leges.

Vatum

Vatum princeps eas, poſtquam in apparatu certaminis omnem vim eloquentiæ exhauſiſſet, ab Ænea ſtricto enſe Deos rite ceremoniisque ſanctiſſimis precato ita referri canit: [z]

Ceſſerit Auſonio ſi fors victoria Turno,
Convenit Evandri victos diſcedere ad urbem.
Cedet Iulus agris: nec poſt arma ulla rebelles
Æneadæ referent, ferrove hæc regna laceſſent.
Sin noſtrum annuerit nobis victoria Martem
(Ut potius reor, & potius Dii numine firment!)
Non ego nec Teucris Italos parere jubebo,
Nec mihi regna peto: paribus ſe legibus ambæ
Invictæ gentes æterna in fœdera mittant

Plura addit, quæ nos non exſcribimus. Talia duella inita inter Godofredum Bulioneum & Principem urbis Amkke, pugnatoribus Drogone & Elia deſertore*; inter Scarinum Gothorum, & Gramum Danorum Reges; inter Attilum & Frovinum, Frothonem & Frogertum, Alaricum & Ericum Reges.[a] Videri quoq; omnino meretur *indictio a certaminis ſingularis ab Eduardo III. Anglo Philippo Regi facta 23. Julii A. 1340. cum Reſponſione Regis Philippi* apud Leibnizium [b] & *permiſſio* à Ludovico Duce Sabaudiæ *data* Sigismundo Malateſtæ *Domino Arimini* & Frederico Comiti Montisferetri & Urbini, ut in ditione ejus duello confligere poſſint 5. Octobr. 1457. apud eund.[c] Leguntur & pacta de pugnis inter duobus plures, imo integros quoque exercitus pugnandis in hiſtoriarum monumentis. Triplex pugnæ genus memoratur in replica Ducis Aurelianenſis ad reſponſum *Henrici* Angliæ Regis 1402. apud Leibnizium[d] *à corps à corps* ſeu monomachia; *nombre à nombre* (poſſes oligomachiam appellare) inter binos utrinque, ut inter Ætolos & Eleos; inter ternos utrinque, ut inter *Horatios* Romanos & Curiatios Albanos; inter tricenos utrinque ut inter Lacedæmonios & Argivos, aut cum centeni (*cent hommes chevaliers Eſcuyers de noms & d' armes, & ſans avoir reproche tous Gentils hommes, in litteris*

z) Virg. XII. Æn. v. 185 & ſeqq.

*) Arnold. L. III. Chr. Slav. c. 11.

a) Jo. Magnus l. II. c. 7. c. 28. & l. IV. c. 7. & c. 16. vid. Henr. Bangert in not. ad. d. l. Arnoldi & l. 2. c. 14.

b) C. J. G. D. dipl. 79. & 8.

c) dipl. 173.

d) dipl. 115. §. 10.

trovaca-

q) XI. Ep. r. 133. lio [q] vocantur) *ſunt, induciæ longæ nihil à pace differunt*; certe intra præfinitum tempus *plenæ pacis inſtar* gerunt. Hinc inducias in centum annos factas pacem vocat Livius. [r] Apud Sozomenum [s] Theodoſius II. cum Perſis inducias in centum annos pepigiſſe dicitur. Sic & pacis in centum annos inter Ambraciotas & Acarnanes mentionem facit Diodorus Siculus l. XII. c. 60. Sic Ferdinandus Catholicus & Alphonſus V. rex Luſitaniæ pacem fecerunt in annos centum & unum apud Conneſtagium. [t] Ceterum quando induciæ ad breve admodum tempus, manentibus utrinque in expeditione exercitibus, condicuntur, hodie plerumq; (ſemper enim id fieri Boxhornio [u] non concedit Felwingerus [x]) *armiſtitia* dici ſolent. Hæc atque talia intellexiſſe Paulum [y] noſtrum credere par eſt inducias definientem, *cum in breve & præſens tempus convenit, ne invicem ſe laceſſant*, & Varronem, quando *pacem caſtrenſem paucorum dierum* apud Gellium, item *belli ferias* dixit κατὰ μεταφορὰν. Vulgus interpretum juris *Treugam conventionalem*, ab induciis diſcriminant, quod illa in longum trahatur, hæc in præſens. [z] *Treugam Dei*, quam diſtinctione magiſtrali *Canonicam* vocant, à quarta feria poſt occaſum ſolis usque ad ſecundam feriam in ortu ſolis, ab Adventu Domini usque ad octavas Epiphaniæ, & à Septuageſima usque ad octavas Paſchæ [a] & à prima die Rogationum usque ad octavas Pentecoſtes, huc non pertinere res ipſa loquitur & Gloſſa atque Nicolaus de Tudeſchis Abbas Panormitanus ibi declarant. Add. Gonzalez Tell. ad c. 1. X. de Treug. & Pac. & Petr. Bellin. in Oceano Juris Tom. XVI. [b] Sed nec eas inducias heic intelligimus, quas ob intermiſſum hoſtilitatis exercitium ad aliquod tempus citra pactum, *induciarum tacitarum* vocabulo ſolent notare graviſſimi ſcriptores, [c] Formulas induciarum in recentiori hiſtoria paſſim offendas, ut apud Leibnizium

r) VII. 20.
s) H. Eccleſ. IX, 4.
t) de un. Luſitan l. 1.
u) J. Pol. l. 1. c. 13.
x) Diſp. de Induc. § 13.
y) L. 19. D. de capt. & poſtl.
z) Strauch. de induc. 1. §. 3.
a) c. 1. X. de Tr. & pac.
b) de re mil. tit. X.
c) Vid. Juſtin. VI, 7. Liv. II, 18. & 64. & XXIII. 46.

nizium [d] & Pufendorfium in Hiſtoria Brandenburgica; in antiquiori inſignis eſt apud Thucydidem. [f]

§. XI. De pactis circa indulgendum *commeatum*, ſeu præſtandum ſecurum itum & reditum per loca hoſti inſeſſa plene docet *H.* Grotius. [g] Adde ſis Petrum Bellinum [h] & Joh. Nicol. Hertium divinarum humanarumque rerum ſcientiſſimum, & ideo ſummæ apud omnes exiſtimationis Virum, Præceptorem meum jugi obſervantia devenerandum in peculiari *de litteris commeatus pro pace* commentatione. Litteræ hæ commeatus variis nominibus inſignitæ leguntur: fidem publicam & ſecuritatem Juſtinianus Cæſar [i], litteras de conductu Innocentius III. Pontifex [k], paſſum Martinus Laudenſis [l], epiſtolam adſertoriam Marquardus [m] vocat. Alii commeatum ſine additamento, diplomata ſecuritatis, cautionem itineris, more ſeculi in actu rerum recepto ſalvum conductum, litteras ſalvi paſſus aut paſſeportum, ſaufconduit, paſſeport, Paß-porten dicunt. Formulæ obviæ ſunt. Accuratiſſimam (niſi quod aliud tempus alias formulas poſtulat) Suecci præſcribebant, cum de pace cum Polonis ineunda ageretur, quam vide in *Diario Europæo* [n] & apud Henelium. [o] Add. Wiquefort de *officio legati* L. 1. p. 279. Huc pertinet (1.) *Salva guardia*, *Sauvegarde*, quæ ſecuritatem contra bellicos inſultus ex pacto præbet, hacque fere formula dari ſolet: P. P. Ermeldten Flecken N. und deſſen eingeſeſſene Unterthanen mit aller Einquartirung auch andern Kriegs-Preſſuren allerdings zu verſchonen und ohnmoleſtirt zu laſſen; Id eſt, *Iſte vicus ejusque incolæ metatorum, epidemeticorum, deprædationum, aliorumque, quæ belli jus imponit, onerum ſunto immunes,* (2.) Et pactio de *Lytro incendiario*, ſive quod pro avertendis incendiis, deprædationibus, direptionibus datur, vulgo Contribution, Brand-Schatzung.

§. XII. Plerumq; ob incerta bellorum apud Chriſtianos

d) dipl. 8.
f) L. IV.
g) l. III. de J. B. & P. c. 21. §. 14 ſeqq.
h) P. 9. de jur. mil.
i) Edict. II. pr. & XIII. c. 10.
k) c. 4. X. Vt lite non conteſt.
l) de bello qu. 28. in Oc. J.
m) de Jur. Merc. l. 2. c. 4. n. 45. & ſeq.
n) P. II. p. 178.
o) de præelim. pac.

p) Vs. pract. ad J. l. I. Ecl. 37.
q) l. 3. de J. B. & P. c. 9. §. 4. & in not.
r) art. 70. Jur. mil. Br.
s) reſp. 9. 155. ſeq. 23.
t) XIV. R. Succ. §. 22. & XV. §. 10.

nos conventiones *circa redemtiones captivorum*, de *Lytro*, (vulgo *rançon*, Rantzion/Löſegeld/*talcâ*) fiunt, quæ *Chartel* vocari bello tricennali Germanico in valuiſſe Johan. Philippi p tradit. Hujus generis conventiones leguntur 1. Macc. IX. 70. & apud Grotium q apud *Hojerum* r Feldmannum s & Pufendorfium. t Formulam Diſſertationi *de Lytro* addidit Cl. Hertius hoc lemmate: Cartell oder Tractar, ſo zwiſchen Jhro Maj. dem Römiſchen Käyſer und Jhro Maj. dem König in Franckreich/mit Einverleybung des Löbl. Fränckiſch- und Schwäbiſchen Crayſſes auch Hertzoge zu Würtenberg ꝛc. anno 1692. den 2. May aufgerichtet und geſchloſſen worden. Id eſt, *conventio de lytro inter Imperatorem Romanum & Regem Galliæ junctis Franconico Suevicoque circulis ac Duce Wurtenbergiæ 2. Maij A. M DC XCII inita.* Moribus Romanorum ſecus erat, de quibus vid. Livius XXII, 59, 61. & *H*oratius L. III. Od. 5. Apud Eutropium L. III. *H*annibali, qui Romanis captivos, ut redimerentur, obtulit, à Senatu eſt reſponſum: *eos cives non eſſe nececeſſarios, qui cum armati eſſent, capi potuiſſent.* Plato quoque *de Republica* l. V. τὸν ζῶντα εἰς τοὺς πολεμίους ἁλόντα ἆρ' οὐ δωρεὰν διδόναι τοῖς θέλουσι, χρῆσθαι τῇ ἄγρᾳ ὅτι ἂν βούλωνται; κομιδῇ γε. *Eum qui vivus ab hoſtibus captus fuerit etiam gratis reddere volentibus relinquendum, ut præda, quomodocunque lubet, utantur? omnino.* Huc pertinet *permutatio captivorum* (*échange des priſonniers de guerre*, die Auswechſelung der Kriegs-Gefangenen) quæ niſi pacto definita fuerit, belligerantium arbitrio relicta cenſetur.

§. XIII. Conventiones quæ ad PACIS TEMPORA attinent, vel *tollunt ſtatum naturalem*, vel *relinquunt*. Conventionum quæ ſtatum naturalem tollunt prima eſt *conventio ſummi Imperii translativa*, ſive *pactum ſecundum conſtituendæ civitatis* pacti primi, quod ſinguli ex ſtatu naturali exeuntes cum ſingulis de cohabitatione & mutua cum voluntatum tum virium conjunctione ineunt, vindex. *H*oc pactum, quod plerumque

rumque priori illo illuſtrius eſt, præcedunt *conſultatio*, & *decretum* de forma regiminis, ſequitur *translatio* voluntatum & virium in unum ſive hominem ſive unum concilium I. Paral. XI,3. XXIX 24. ibi: *dederunt manus ſub Solomonem Regem.*[u] *Lege regia, qua de imperio Principis lata eſt, populus ei & in eum omne ſuum Imperium & poteſtatem contulit* Vlpianus[x] ait & Juſtinianus.[y] Hinc *Lex imperii* vocatur in *L. 3. C. de teſtam.* item *Lex Auguſti* in *L. 14. in fin. ff. de manumiſſ.* Similibus fere verbis concepta eſt lex regia imperii Francorum, qua à Papa Senatu populoque Romano jus omne & poteſtas Carolo M. & in eum A. DCC LXXIV. collata fuit.[z] Negat hoc pactum ſecundum Th. *H*obbius[a] ejusque loco ponit renunciationem juris ſui. Præter ea quæ perdocte contra eum diſſeruit Puſendorfius[b] opponi & poteſt experientia. Et verò, quam Anglus pacto ſingulorum cum ſingulis includi putat, renunciatio, cum opus habeat acceptatione ejus, cui defertur ſuprema poteſtas, quid eſt, nî pactio eſt? Poſtremùm licet hac doctrina infinitam reddere annitatur Hobbius τὴν πρώτην ἀρχὴν ex altera tamen parte nimium quantum ei decerpit, quia *juris translationem in ſola non reſiſtentia conſiſtere* docet.[c] Quin ipſe negat, jus ſemet tuendi poſſe pacto abdicari.[d] Inde infert: *Si multi contra civitatis ſummam poteſtatem crimen aliquod commiſerunt capitale, propter quod niſi ſe defendant, exſpectent mortem, libertatem illos conjunctis viribus ſe mutuo defendendi habere.* Peſtilens ſententia & qua neſcio an ulla capitalior civitatibus excogitari aut confingi animo poſſit, cum eâ omne vinculum, quo civitatum cohæret ſtructura, diſſolvatur. Videndus heic utique Clariſſimus Hertius noſter in eruditiſſima de *modo conſtituendi civitates* diſſertatione, qui & *H*outuyni eandem ſententiam cum temperamento proponentis, multorum item Theologorum, JCtorum, Philoſophorum, qui pactum ſecundum alia ratione tollunt, & Vlrici Huberi utrum-

u) Vid. I Sam X. 24. XI. 1. 14. II. Sam. V. 1.

x) L. I. D. de Conſt Princ.

y) Inſt de J. N. G. & C. §. 6. L. 1. §. 7. V. cum enim. C. de V. Jur. enucl. Conſt. Deo Auctore. de concept. D. §. 7.

z) Vid. eam apud Schilter. J. J. P. Tom. II c 1.

a) de cive c. 7. §. 12.

b) l. 7. de J. N. & G. c. 2 § 9. 10. 11. & 12.

c) c. 2. de Cive §. 4.

d) Leviath. c. 14. V Siquis ſeipſum add. c. 1. de Civ §. 19 c. 5. §. 7.

e) Leviath. l. 21. v. Contra arma.

utrumque pactum miſcentis argumenta expendit juxta & confutat more ſuo, id eſt, erudititiſſime.

§. XIV. Altera quæ ſtatum naturæ tollit conventio publica eſt *amneſtia* poſt bellum civile. Relabi enim civitatem ſoluto vinculo in Anarchiam, adeoque ſtatum naturalem ſupra dixi. Amneſtiam autem non magis eleganter quam nervoſe ita deſcribit civilis ſapientiæ conſultiſſimus, immortalisque memoriæ Vir Joh. *Henricus* Bœclerus. f *Amneſtia eſt lex, qua nati ex diſcordiis dolores iræque, ſublato, ſolenni partium conventione vindictæ nocendique ſtudio, abolentur.* Dixit legem. Nam & Plutarchus diſerte τὸ τῆς ἀμνηστίας ψήφισμα *decretum* Cæſar g & Vellejus Paterculus h & Nepos i graviſſimus Scriptor *legem oblivionis* & k Valerius *Plebiſcitum* nominant, ut à qualicunque conventione l diſcriminarent. Lex enim ſacra & ſancta eſſe debet mortalibus omnibus ejusque ſumma tum ad obligandam tum ad conſervandam civitatem auctoritas. Adverſus interna autem diſſidia proprie inventum hoc adhiberi poteſt & ſolet. Id quod res ipſa & hiſtoria docet. Quamquam enim in externorum quoque bellorum compoſitione, pacificationibus, induciis inter ſolennes leges & formulas adhibeatur, *nemini jus fasque eſſe debere, præteriti temporis damna vel offenſiones ulciſci, exprobrare, perſequi*: tamen iſtam abolitionem inter cognata potius hujus amneſtiæ ſtricte ſumtæ, numerandam eſſe putant rectiſſime Bœclerus & Illuſtris Obrechtus, m quatenus ſe abolendum vindictæ nocendique ſtudium communiter in omni reconciliatione, pace, tranquillitate incunda ſpectatur. In civilium autem diſcordiarum abolitione longe arctior eſt & intenſior Amneſtiæ reſpectus. Formulam fere continent verba Cornelii n Taciti in memorabili loco, quo relatum in Senatu ait, *de abolendo dolore irâque & priorum temporum neceſſitatibus.* Aliam ex recentiori, quem vocant, curiæ ſtylo exhibet laudatus Bœclerus. o

f) Diſſert. de Amneſt. c. 2.
g) VII. de B. G. c. 34.
h) 2, 58, 4.
i) Thraſibul. c. 3. n. 2.
k) IV, 1. ext. 4.
l) vid. L. 1. D de LL Rubr. tit. de Leg. commiſſ. L 23 de reg. jur. & ſimil.
m) ad Inſtr. Pac. Weſtph art. 1.
n) IV. Hiſt. 44.
o) d. diſſert. de amneſt.

§. XV. Tertia ſtatum naturalem tollens conventio eſt *Conventio matrimonialis inter Principes.* Quando vel uxor marito ſubjicitur, vel vir ſummo uxoris imperio civili obſtringitur. Sc. quando fœminæ regnorum heredes, maritos adſciſcunt, retentâ in civitatem ſummâ poteſtate. Diodorus Siculus p) refert, in honorem Iſidis apud Ægyptios receptum eſſe, *ut plus poteſtatis & honoris ſit penes Reginam quam Regem.* Haud equidem exiſtimo à natura citra interveniens pactum aliud imperium maritale oriri; ſicut tamen omnis peregrinus, ſi in civitatem aliquam exteros amice tractare ſolitam, amica ſub ſpecie accedat, etſi nunquam expreſſe fidem dederit, tacite tamen & ex ipſo acceſſionis actu fidem dediſſe cenſetur, quod pro ratione ſtatus ſui velit ſeſe legibus ejus civitatis attemperare; poſtquam norat, eam legem in univerſum dictam eſſe omnibus, qui intra territorium iſtius civitatis verſari cupiant: ita & conjux Illuſtris ſimul ac regionem conjugis ingreditur ipſius ſummo imperio ſubjicitur, eaque conditio ipſi pacto matrimoniali ineſſe creditur, cum alias quævis civitas, ſi Princeps conjugem ſibi jungat, in ἀνωμαλίαν quandam delabatur. Atque ſic nos in præſentia nullo pacto adſtipulari poſſumus Viro eruditiſſimo Nicolao Mylero ab Ehrenbach, qui negat Principem vel Comitem Imperii, in uxorem ſuam aliquam juriſdictionem exercere poſſe. Quod ſi igitur conjuges utrinque pari poteſtate gaudere velint, neceſſe eſt, ut id peculiaribus pactis conſtituatur, aut diſciplina civitatis id expoſcat; plane ſicuti veteri jure conjunx Imperatoris non ipſo jure connubii Auguſtæ jura obtinuit, ſed demum cum in Auguſtam renunciaretur. q) Sub Imperio Francorum Saxonumque Imperatrix in conſortium Imperii fuit recepta r) Otto M. in diplomate Eccleſiæ Patavinæ A. 963. dato: *conſultu & inter-*

p) l. 1. c. 27.

de Princip. Imp p. 1. c. 34.

q) L. 31. D. de L. L.

r) vid. Schilter. J. J. P. T. 1. l. 1. t. 16.

interventu dilectæ conjugis noſtræ Adelheidæ & conſortis Imperii noſtri. Idem in diplomate Adelrami A. 967. *Interventu ac petitione Adelhegidæ noſtræ conjugis atque imperii noſtri participis.* Item in diplomate donationis ipſi Adelheidæ factæ A. 968. *Dilectæ conjugi noſtræ Adelheidæ Imperatrici, Regnorumque noſtrorum conſorti.* Hroſwitha Gandersheimenſis de Henrico I. Imp. cum uxore Mathilda Imperium R. ſuſcipiente canit:

Conregnante ſua Mathilda conjuge clarâ.

Vid. Conditiones matrimonii inter Philippum II. & Mariam Reginam Angliæ apud Thuanum s) item de Maria regina Scotiæ apud eundem t) Add. Jo. Mariana u) & Guicciardinus v) de adminiſtratione regni Caſtellæ à Ferdinando & Iſabella communiter facta. Quid noſtra memoria in Anglia acciderit, quis rerum omnium tam expers eſſe poteſt, ut ignoret? Quemlibet conjugum heic pari facultate polluiſſe vel ex ipſa homagii formula perſpicere licet. *Je N. N. promets ſincerement & jure que j' obeïray fidellement à L. M. le Roy Guillaume & la Reine Marie, ainſi Dieu me ſoit en ayde. Ego N. N. ſanctè promitto juroque me fideliter obtemperaturum Guilielmo Regi & Mariæ Reginæ, ita me Deus adjuvet.*

s) l. XIII. ad ann. 1553. & 1554.
t) l. XX. ad ann. 1558 & l. XXXVII. ab init.
u) H. ſt. Hiſp. l. XXIV. c. 5.
v) Hiſt. l. VI.

§. XVI. *Manente ſtatu naturali*, ſanciuntur *fœdera*, (*alliances, ligues*, Bündniſſe/ quæ Cæſari, Ciceroni, Tacito, *fraternitates* quoque appellantur) quæ jam ſenſu efficientis, non ſignificatu ſtantis accipimus, etſi utroque accipi ſoleant, plane ut conventiones quædam publicæ aliæ, & ut unio in Philoſophia prima. Fœdus ergo nobis hoc loco, eſt conventio publica, inter duas pluresve perſonas publicas ad ſocietatem & amicitiam colendam, & ad mutuam utilitatem promovendam facta. Itaque cum plures civitates ſimul aliam invadunt citra conventionem,

nem, proprie fœdus non eſt, ut docet celebratiſſimus Hertius, qui Frachettam huc referre ait, *cruciatas* (*les croiſades*) ſeu *paſſagia*, quæ vocant, hoc eſt, expeditiones Chriſtianorum populorum in terram ſanctam, de quibus Æneas Sylvius ep. 414. ad quam lege ſis integram Bœcleri *de Paſſagiis* diſſertationem. Fœdera intuitu materiæ variè diſpeſci poſſunt. Nam alia ad commercia, quædam ad belli communitatem, nonnulla ad res alias ſpectant. *Pactiones de Commerciis* (*Traitez de commerce*, Commercien Tractaten) variæ eſſe poſſunt, puta, ne vectigalia in tranſitu fretorum littorumque pro recepto in ſe onere tuendæ navigationis juvandæque per ignes nocturnos & doliola ad brevia & tænias denotanda plus nimio augeantur, eorum exactione in Tabulis, quas hodie *Tarif* appellant, cum certa confiſcationis ratione præſcripta, & paſſim occurrunt in hiſtoriis inprimis recentioribus. vid. H. Grot. *l. 2. de J. B. & P. c. 3. §. 14.* & *Leon.* ab Aitzma, in *hiſtoria Pacis Belgicæ* p. 730. & ſeq. ubi exhibet celebre illud fœdus inter Henricum VII. A. R. & Philippum Archiducem Auſtriæ A. 1495. percuſſum. Huc referri poteſt fœdus *Hanſeaticarum Urbium* contractum, quantum conjecturâ aſſequi licet, ſeculo XII. declinante, continenturque eo non ſolum Civitates immediatæ, ſed & mediatæ, quin & aliquæ extra Imperii limites ſitæ, modo jus claudendi & aperiendi portas ſuas haberent; earumque urbium numerum aliqui ad centum & octo producunt. Fœdera bellica vel ad inferendum bellum vel ad propulſandum comparantur. Unde alia *offenſiva*, Græci συμμαχίας, veteres ὁμαιχμίας vocant, & explicat Thucidides τοὺς αὐτοὺς ἐχθροὺς καὶ φίλους νομίζειν, *eoſdem hoſtes & amicos habere*; alia *defenſiva*, Græcis ἐπιμαχίαι dicta. Illa minus recte Thucidides Hiſtoricus, & Beſoldus Speideliuſque JCti (Theſ.

Elem. pr. cit. P. 1. Sect. 8. §. 4.

 Pr.

Pr. & Spec. voc. Bündnüß) definiviſſe videntur ſine diſputatione περὶ τὸ δίκαιον, ideſt, *de Jure.* Jus enim faſque ſemper tacite intelligi debent, idque probat Petrus Bellinus. x] Talia fœdera multa leguntur. vid. S. Stryck. de Succeſſ. ab inteſtato Diſſ. VIII. c. 7. §. 3. In omne volubile ævum memorabile eſt conſilium Henrici Magni, de perpetuo fœdere jungendis omnibus Regibus & Rebuspublicis Europæ contra Turcas, quod ex commentariis Sullii Ducis multis recenſuit Harduinus Pereſixius Archiepiſcopus Pariſienſis. y] Poteſt, ut diximus, fœdus & ad res alias pertinere, ut, ne ultra certum terminum quis naviget; vid. exempla apud Grotium *l. 2. de J. B. & P. c. 3. §. 15. & in annot.* ne quis arces in alterius confinio habeat, ne ſubditos alterius alter recipiat, ne iter alterius hoſti præbeat, & quæ ſunt alia. Fallor? an huc etiam referri poſſunt *confraternitates Principum*, die Erbverbrüderungẽ/ ſive conventiones à diverſis familiis ſummo imperio præditis de Provinciis & bonis alterius familiæ, extincta illa, certa ſucceſſionis lege acquirendis; quales olim inter Reges Bohemiæ & Archiduces Auſtriæ; inter Saxoniæ Duces & Comites Hennebergæ; inter Marchiones Brandenburgicos & Pomeraniæ Duces; inter Landgravios Haſſiæ & Comites Cattimelibocenſes, interceſſiſſe putant, quæ omnes jam finem ſuum conſecutæ; ſed inter Bavaros & Comites Palatinos Rheni; item inter Saxones & Cattos etiamnum cuſtodiuntur. Vide allegatos apud S. Stryckium de ſucceſſ. ab inteſt. Diſſ. IIX. c. 7.

§. XVII. A forma, hoc eſt obligatione, fœdera alia ſunt æqualia, alia inæqualia. *Æqualia*, quæ utrinque eodem ſe modo habent, ἅπαντες ἴσως καὶ κοινῶς ἐν ἀμφοτέροις ἔχουσι, ut Iſocrates *in Panegyrico* loquitur. *Inæqualia*, quando vel inæquales præſtationes invicem exhibentur, vel altera pars eſt deterioris conditionis. Promittuntur autem hæc vel

x] Libro de re militari P. XVII. n. 8. & 9. & P. VI. t. 1. n. 6.

y] La Vie de Henry le Grand l'an. 1609.

à *fæ-*

à fœderato digniore; vel à minus digno. Illud fit, ſi potentior auxilia promittat alteri, nec reſtipuletur; aut ſi majora quam alter aut huic non proportianata promittat. Hoc fit, ſi fœderatus inferior plura præſtare tenetur, quam ab altero recipit. Iſtorum fœderum nonnulla conjuncta quidam putant, *cum imminatione ſummi Imperii*, & quæ civitates faciant irregulares, quales ſunt, quæ Syſtemata ſive Achaicæ, clientelares, feudales, aut vectigales dicuntur: Sed hæ pactiones fœderum vulgarium terminos multum excedunt, & videntur aliquid ex ſocietate civili trahere. Hinc olim Ætolorum, Theſſalorum, Cretenſium civilia corpora *πολιτείαι* audierunt, etiam ipſimet Ariſtoteli. Poſthâc Achæorum Reſp. fuit in exiſtimatione hominum, donec arte Romana diſſolveretur. Hodie omnes Helvetiæ, Rhetiæ & inferioris Germaniæ populorum ſocietatem Rempublicam vocamus. Quamquam Helvetiæ civitates *imperio disjungi; ſuam quamque Remp. habere, alteri niſi ex fœdere & ſocietate debere nihil*, Franciſcus Guillimannus ſcribit l. 3. de reb. Helvet. c. 14. Fœderatum Belgium non unam civitatem eſſe ſuperiori jam ſeculo docuit Buſius Diſp. pol. 16. §. 29. ſeq: idemq; in argumentũ ſuæ cauſæ prolixe demonſtravit H. Grotius *in Apologetico*. Tale forte fœdus futurum erat quod Henricus Magnus icere parabat cum omnibus Europæ Rebuſpublicis, ita ut omnes fœderati *Reſpublica Chriſtiana* a) vocaremur quindecim civitatibus deſcripti. Hæque erant Pontificatus Romanus, Imperium Germanicum, Gallia, Hiſpania, Magna Britannia Hungaria, Bohemia, Polonia, Dania, Suecia, Sabaudia ſub titulo regni Longobardici, Dominium Venetum, Reſpublica Italica ex Florentina, Genuenſi & Lucenſi civitatibus & Mantuano, Parmenſi, Mutinenſi, Monœcique Principatibus compoſita, ac denique Belgium & Helvetia. Quædam *ſummum Imperium non imminuunt*, licet

a) Perefix la vie de Henry le Grand l' an. 1609.

licet adjunctum habeant aliquod *onus tranſitorium*, quo ſimul & ſemel licet defungi, ut, cum hoſtis qui ſit, in amicitiam recipitur, dum ſtipendia militibus, item impenſas belli ſolvat, aut aliud quid præſtet: Imo, nec quæ ex ipſa vi pactionis *manentem prælationem* alteri donant; hoc eſt, ubi quis tenetur alterius imperium & majeſtatem comiter conſervare. Ad quod genus referenda ſunt jura quædam eorum quæ nunc vocantur protectionis, advocatiæ vel mundiburgii: Item jus urbium matricum in colonias apud Græcos. Nam, ut Thucidides ait, Coloniæ cum Urbibus matricibus erant paris libertatis, ſed debebant τιμᾶν τὴν μητρόπολιν & exhibere τὰ γέρα τὰ νομιζόμενα, reverentiam ſc. & honoris ſigna quædam.

L. 7. D. de capt. & poſtl.

§. XVIII. Porro Conventiones publicæ ratione cauſæ efficientis vel ſunt TALES ΚΑΤ' ἘΞΟΧΗ'Ν, de quibus hactenus diximus, vel SPONSIONES, ubi qui à ſummis poteſtatibus mandatum ejus rei non habent aliquid promittunt, quod eas proprie tangit. Add. H. Grot. *l. 2. de J. B. & P. cap.* 15. §. 3. §. 16. & 17.

§. XIX. Denique Conventionum publicarum quædam IN REM ſunt, quædam IN PERSONAM. b) Hæ intra perſonam ſtant: illæ ad rem pertinent, & quamvis mutatâ perſonâ perdurant. Et ſiquidem cum populo libero actum ſit, dubium non eſt, quin quod ei promittitur, ſui natura reale ſit, quia ſubjectum eſt res permanens. Imò etiamſi ſtatus civitatis in regnum mutetur, manebit fœdus, quia manet idem corpus, etſi mutato capite. At ſi cum Rege contractum ſit, non ſtatim perſonale erit cenſendum fœdus. Appoſitè Ulpianus: c) *Utrum autem in rem an in perſonam pactum factum eſt, non minus ex verbis, quam ex mente convenientium æſtimandum eſt; plerumque enim (ut & Pedius ait) perſona pacto inſeritur*,

b] L. 7. §. 8. L. 57. §. 1. L. 27. §. ult L 17. §. pactum D. de pact.

c] L. Juris Gentium 7. §. pactorum 8. de Pact.

tur, non ut perſonale pactum fiat, ſed ut demonſtretur, cum quo pactum factum eſt. Adde L. 40. *de Pactis*. In dubio autem pactum præſumitur potius reale quam perſonale. a)

a] Hilliger. in Donell. l. 22. c. 4. lit. K. L. Gœdd. de contrah. ſtipul. c. 9. n. 164. Vincent. Honded. p. 1. Conſil. 39. n. 19. 20. Ziegl. ad Grot. l. 2. c. 15. §. 16.

§. XX. Hæc de Conventionibus publicis generatim dici & prælibari ea, ſine quibus cætera intelligi nequeunt, oportebat. Nunc oſtendemus, quænam eæ firmamenta habeant ex Jure naturæ, quænam ex jure Divino ſcripto, quænam ex Jure Gentium, quænam à conſiliis humanis; quæque ab his oriuntur, ea ita exponemus, ut ex legibus methodi, quam rerum civilium magiſtri præſcribunt, generalia prius tradantur, quam ſpecialia, & inter illa, quæ diverſi ſunt gradus, quoad fieri licet, præponatur illuſtrius.

CAPUT II.

De firmamentis conventionum publicarum ex jure naturæ.

SUMMARIUM.

§. I. Refellitur Connani ſententia ſtatuens nudas conventiones firmamenta nulla habere ex jure naturæ.

§. II. Refelluntur dicta & doctrina quorundam Politicorum.

§. III. Refellitur Philoſophia Th. Hobbii & Benedicti de Spinoza.

§. IV Firmamenta, quæ habent conventiones publicæ ex jure naturæ, declarantur 1. *à ſocialitate.*

§. V. 2. *Ab effectu.*

§. VI. Firmamenta hæc pertinent ad omnes conventiones publicas ſine exceptione; etiam ad eas quæ ineuntur cum *Hæreticis*,

§. VII. Cum *hoſtibus publicis*,

§. IIX. Cum *civibus rebellibus*,

§. IX. Cum *perfidis*.

§. I. Qui-

§. I.

QUinam obligandi vigor inſit pactis initis inter eos, quos nulla juris Civilis tenet communio, quales ſunt, qui nunquam in gentem coierunt, quique inter ſe diverſarum ſunt gentium, Reges, quique par Regibus jus obtinent, ſive illi optimates ſint, ſive populi liberi, res eſt controverſa & plena diſſenſionis inter juris & æqui conſultos. Non nulli enim credunt, eorundem vim ſolo cujuſvis pudore ac verecundia contineri; præſertim ubi nullum adhuc συνάλλαγμα interceſſit, & ab alterutra parte nihil præſtitum fuit. Atque heic ſtatim ſe nobis objicit vir eruditionis minimè vulgaris Franciſcus Connanus JCtus. a) Is enim hanc defendit ſententiam jure Naturæ ac Gentium ea pacta, quæ non habent συνάλλαγμα, nullam inducere obligationem: honeſte tamen impleri, ſi modo talis res ſit, quam præſtare etiam citra promiſſum honeſtum ac virtuti alicui congruens fuerat. Ex qua ſententia ita generaliter, uti effertur, accepta recte monet Grotius ſecuturum, inter Reges & populos diverſos, pactorum, quamdiu nihil ex iis præſtitum, vim eſſe nullam; præſertim iis in locis, ubi nulla certa forma fœderum aut ſponſionum reperta eſt. Rationes quas pro ſententia ſua adfert Connanus cum cura expendunt & refellunt H. Grotius *L. II. de J. B. & P. c. 11. §. 1. & 4.* Pufendorſius *L. 3. c. 5. §. 9. 10. 11.* & Weſenbec. *ad D. de pact. n. 9.*

a) Comment. Jur. Civ. L. 1. c. 6. & L. 5. c. 1.

§. II. Ipſorum inter ſe Principum geſta vide: & eorum, virorumque, qui rempublicam conſiliis juvare, armis tueri, exemplo emendare debuerant, dicta accipe. Octavianus Fregoſius Genuenſium Dux, cum contra datam Pontifici fidem Francis ſeſe junxiſſet, copioſa ad Leonem X. Pont. Max. exarata epiſtola affirmare nullus dubitavit: *Si ad privatos homines, vel ad Principem, qui privatis*

Conring. in ep. ad Alvensleben.

privatis rationibus regnorum res metiretur, ſcriberet, difficilius ſibi fore perfidiæ notam diluere : ſed cum ad omnium ejus ætatis Principem ſapientiſſimum, quique pro ſua ſapientia, ipſum ſuum ſtatum alia ratione conſervari non potuiſſe perſpiceret, litteras daret; apud eum, qui quid liceret, vel ſaltim quid Principes non modo cum ad eum ſtatum ſunt redacti, verum etiam imperii augendi vel in meliorem ſtatum redigendi gratia, facere conſueverint, optime cognoſceret ſciretque, ſe excuſare ſupervacaneum eſſe. Quod poſteritati tradidit Guicciardinus. His ſimilia placita ex ipſa Romana Curia emanaſſe fidem facit Arnaldus Oſſatus Cardinalis, in quadam ad Viliaræum epiſtola : a) *Le Pape me dit, que les Rois & autres Princes ſe permettoint toutes choſes, qui tournoient à leur profit, & que la choſe en etoit venuë ſi avant, qu'on ne leur imputoit point & ne leur en ſçavoit on point de mauvais gré & allegua un dire de Franceſco Maria Duc d'Urbin, qui ſouloit dire, que ſi un ſimple Gentil-homme ou un Seigneur non ſouverain manquoit de ſa parole, il en ſeroit deshonoré & blaſmé d'un chacun, mais les Princes ſouverains pour raiſon d'eſtat, pouvoient ſans autre grand blaſme faire des traictez & s'en departir, prendre des alliances & les laiſſer, mentir, trahir & toutes telles autres choſes.* Id eſt; *Pontifex mihi dicebat, Reges Principesque omnia, quæ conducibilia viderentur, ſibi licita putare, neque id ipſis vitio verti, ſimulque dictum Franciſci Mariæ Ducis Urbinatis uſurpabat : hominem nobilem qui ſummo minori imperio res ſuas moderatur, ſi fidem falleret, infamiam non effugere; at ſummos imperantes, ſi cauſa imperii id expoſcat, poſſe citra famæ imminutionem pacta conventa eludere, fœdera icta violare, mentiri, prodere ſocium, &, quæ ſunt alia in eum ſenſum, patrare.* Nec diſſimile eſt quod Boccalinus b) ait : *Il mantenere la parola per non diſcreditarſi alla buona opinione, non è pro-*

a] Epiſt, 87.

b] In libello, la Secretaria di Apollo p. 371.

è proprio de' Prencipi, ma de' mercanti. Id eſt; *Mercatorum eſt, non Principum fidem liberare, ne male audias.* Ita Nicolaus Machiavellus c) principem ſuum inſtituit, ut belluinum ingenium ſcite induat tum vulpis, tum leonis moribus aſſumtis, nec promiſſis ſtet, quæ commodis ſuis adverſari videt. Nec Juſtum Lipſium etſi judicio Conringii d) majore vafritie ſit uſus, alia docuiſſe facillimum deprehenſu eſt, ſi expendere cui lubido fuerit, quæ *IV. Politicorum, capitibus tertio decimo & quarto decimo* diſſertantur. Statim enim utique in ipſo initio negat placere ſibi Zenones quoſdam, *quibus unum illud ad laudem directum cum virtute iter, probatur*, e) qui fas non putant, *rationem bono conſilio à Diis immortalibus datam, in fraudem malitiamque converti.* f) Capite ſequenti fraudum uſum probat, & tamen univerſe definit fraudem, *argutum conſilium à virtute aut legibus devium.* Qui ita ſentiunt, dubium non eſt, quin oppoſituri ſint nobis illud ex Comœdia:

Terent.

Incerta hæc ſi tu poſtules
Ratione certa facere, nihilo plus agas,
Quam ſi des operam, ut cum ratione inſanias.

Sed hæc omnia tanta non ſunt, ut omne fas honeſtumque evertant. Nam & eorum plerique ipſi, qui hæc pronunciarunt, non juris, ſed utilitatis nomine defenderunt. Quod ſi autem dicitur, uti Carneadi dicitur & Poëtæ:

Horat.

Utilitas juſti prope mater & æqui,

ſi accurate loquamur, verum non eſt: nam naturalis juris mater eſt ipſa natura. vid. H. Grot. in *Proleg. operis de J.B. & P.* Aliorum, qui plane omni honeſtati nuntium miſere, dicta quis curabit? Hos enim cauſas orare leges non ſinunt, neque teſtimonii dictio eſt. Principes autem ipſi, uti quiſque bonus eſt, vel videri vult, ita maxime

fidei

c] de Principe c. 17.

d] in epiſt. ad Alvensleben.

e] Cic. pro M. Cœl. c. 17.

f] Id. III. de Nat. Deor. c. 31.

fidei obſervans videri cupit. *Bonæ fidei ſum* Auguſti decantatum pronunciatum eſt. Nec minus celebre illud Eumenis, *vitam ſe potius poſiturum, quam fidem* : quo & illud pertinet Guntheri Ligurini:

Unde jus & reverentia verbo
Regis ineſſe ſolet quovis juramine major.

Digna Principe ſunt, quæ ſupremis tabulis ſcripſit Albertus Megapolcos-Dux: Je höher der Fürſten-Stand für andern Leuthen / jemehr auch billich auff ihre Wort zu bauen iſt: Daher auch die Rechte wollen / daß eines Fürſten Zuſage ſo viel gelte / als einer geringen Stands-Perſon leiblich geleiſteter Eydſchwur; Und was ein Fürſt jemand mit dem Auge zuwinckt / daß ſoll Er ihme ſo feſt halten / als wenn es ein anderer verbrieffet und verſiegelt hätte. g) Ideſt; *Quo ſuperiores Principes aliis ſunt hominibus, eo cauſatius ipſis fiditur. Inde nudam Principis aſſertionem pro jurejurando valere conſtitutum eſt. Atque utique Principis nutus pro efficaciſſima cautione ſufficit.* Symmachus: *nunquam major fides quam in bonorum Principum ſponſione.*

g] vid. Reink. l. 2. Pol. Bibl. Axiom. 65. X, 19.

§. III. Non autem in Aula tantum patronos invenit hæc cauſa: ſed & eam ſub ſpecie moralis Philoſophiæ (quis credat?) glorioſæ vocis confiſi munimine defenſatum ivere Thomas Hobbius & Benedictus de Spinoza Philoſophi, ille Anglus, hic Belga. Hobbius ait: h) *in ſtatu mere naturali, ſeu antequam homines ullis ſe pactis obſtrinxiſſent, unicuique licere facere quæcunque & in quoſcunque libebat, & poſſidere, uti, frui omnibus quæ volebat*: Addit in notis: *quod quis fecerit in ſtatu mere naturali, id injurium homini quidem nemini eſſe. Nam injuſtitiam erga homines præſupponere leges humanas, quales in ſtatu naturali nullæ ſunt.* Alibi ait, i) *ſecuritatem ſuam non ex pactis, ſed ex conſiliis adverſarii æſtimare quemque.* His ſimilia ſunt *in Leviathane.* k) Hæc tolerabilia

h] c. 1. de Cive §. 10.

i] c. 13. de Civ. §. 7.

k] c. 13.

rabilia eſſent, ſi recte expoſita non ad nocendi jus, ſed ad prudentiam cavendi referantur. Aſt duriora ſunt quæ docet c. 10. *de homine* c. 26. *Leviathan.* Conf. c. 12. *de Civit.* §. 1. c. 15. *Leviath. Dictamina rationis vim quidem obtinuiſſe legum, ſed improprie dictarum, eſſe enim de iis rebus, quæ ad conſervationem bonorum ducunt tantum theoremata: legem autem proprie dictam vocem eſſe imperantis.* Quæ ſi ſententia vera eſt, nullum inter homines jus &, ut Græci ajunt, σκιᾶς ὄναρ ἢ τȣ́τȣ ȣ̓δαμινοτερόν τι fœdera; concidat etiam neceſſe eſt quidquid conventionibus ſuperſtruitur. Nam & ipſe infert: l) *pacta per ſe non obligare, verba enim eſſe, dumque verba ſint, tantum non timeri: ideoque ad ſecuritatem hominem per ſe ſine armis inutilia eſſe, & quoties metus cogentis abeſt, leges non obligare.* m) Idem ita expreſſit B. de Spinoza: n) *Fides alicui data, qua aliquis ſolis verbis pollicitus eſt, ſe hoc aut illud facturum, quod pro jure ſuo omittere poterat, vel contra, tam diu rata manet, quam diu ejus, qui fidem dedit, non mutatur voluntas. Nam qui poteſtatem habet, ſolvendi fidem, revera jure ſuo non ceſſit; ſed verba tantum dedit. Si igitur ipſe, qui naturæ jure ſui judex eſt, judicavit, ſeu recte, ſeu prave, (nam errare humanum eſt) ex fide data plus damni, quam utilitatis ſequi, ex ſuæ mentis ſententiâ fidem ſolvendam eſſe cenſet, & naturæ jure eandem ſolvet.* Plura alia in eundem ſenſum in utriuſque ſcriptis paſſim offendas. Quæ omnia eo recidunt, in ſtatu naturali nullum eſſe jus, pacta robur nullum, vim nullam habere. o) Ita vero civiles ſocietates pactorum opera nunquam potuerunt coaleſcere, neque coalitæ conſervabuntur, ſed ſumma ſequeretur rerum omnium confuſio. Hoc abſurdum & ſuo maximè propoſito adverſum (voluit enim videri firmare civitates) etſi evitare conetur Hobbius p) neutiquam tamen evincit, obligationem ad animum pertinere, ſed illud tantum,

l] c. 16, 17. & 18. Leviath.

m] Conf. c. 3. §. 33.

n] tractat. pol. qui exſtat in operibus poſthumis, c. 2. §. 12.

o] vide Spinoz. d. c. §. 15.

p] vid. Cl. Hertii Diſſert. de Social. § 9.

tantum, imprudenter & parum ex uſu ſuo facere, qui fidem pactorum, quibus civitates conſtituuntur, violant. Jam ſi ſolus utilitatis reſpectus pacta continet, hâc evaneſcente, diſſolventur. Præterea jus iſtud omnium in omnia cur non comprehendat jus in pacta? Neque vero in omnibus pactis verba tantum ſunt, ut hi putarunt, ſed eſt juris translatio. Quare injuriam faceret alteri, qui eripit ei, quod jam eſt translatum.

§. IV. Pacta autem, ſi quæ inter homines ineuntur, (ut vero illa ineantur hominum utique requirit conditio) illa ſancte obſervanda eſſe, ſociabilis natura hominis efflagitat. Perplacet nobis Florentini JCti a) collectio: *cum inter nos cognationem quandam natura inſtituerit, conſequens eſt hominem homini inſidiari nefas eſſe.* Plus auſus fuit ingenioſiſſimus Papinianus b) nempe *hominis intereſſe hominem beneficio adfici:* quod potuit ſumere à Cicerone: c) *Hoc natura præſcribit, ut homo homini, quicunque ſit, ob eam ipſam cauſam, quod is homo ſit, conſultum velit.* Iſtam cognationem non tantum Sacra Oracula & Chriſtianæ veritatis doctores, Lactantius d) Auguſtinus e) Leo; f) ſed & Epictetus, Seneca, g) Antoninus Imperator, h) Plato, etiam & Cicero toto *officiorum opere*, ut & *L. 1. de LL.* & paſſim, Ariſtoteles i) & infiniti alii omnium Gentium, omnium ætatum Philoſophi commendarunt inculcaruntque: Adſtruxit H. Grotius k) Puſendorfius l) ac nove elegantiſſima demonſtrandi ratione his non minor J. Nicolaus Hertius Noſter. m) Jam vero nulla magis re inſidiari alter alteri poteſt, quam fidem fallendo; & nihil ad irritandos ac in diſcordiam conjiciendos homines efficacius deprehenditur, quam ſi quis ab altero, quia cordatum ac bonum virum credidit, ludibrio habeatur. Ni igitur pacta ſervandi neceſſitas incumberet generi mor-

E 3 talium

a] L. Ut vim 3. D. de J. & J.
b] L. Servus 7. D. de ſerv. export.
c] l. 1. Off.
* Add. Gonzal. Tell. de orig. Jur. Can. §. 14.
d] L. 6. Div. J. c. 18.
e] L. 3. doctr. Chriſti c. 14.
f] ep. 8. ad Athanaſ.
g] ep. 59 2. de ira 31 add. ep. 48. IV. de benef. 18.
h] l. 3 de rebus ſuis §. 4. & l. 12. §. 26.
i] VII. Eth.
k] Proleg. §. 6 & ſeqq.
l] II. de J. N. & G. 3. 15. ſpecim. controv. c. 4. & in ſpecilegio paſſim.
m] Diſſ. de Social. per tot. præcipue Sect. 1. §. 5. & ſeqq.

talium, præcipue autem ejus Rectoribus, ἐξ ἀνάγκης ſequeretur, ut dirempta pace & ſublatis fœderibus *omnes inter ſe æterna bella gerant*; quod Juſtiniani Auguſti legati ad Choſroen dicebant: n) *Bella autem ſine fine hanc vim habent, ut homines perpetuo teneant ſuæ naturæ extorres.* Fide enim, quæ ex pactis contractibuſque naſcitur, non tantum Reſp. quælibet continetur ut Cicero o) dicit, ſed & major illa Gentium ſocietas.

n] Procop. III. Perſicor.

o] de Off. III.

Hac ſine non tellus pacem, non æquora norunt.

Hac abrogata, omnem humanam ſocietatem tolli graviſſime. App. Claudius Craſſus dicit apud Livium in oratione ad Quirites. p) Igitur inconcuſſum *juris naturalis firmamentum* conventionibus publicis additur, UT OMNES FIDEM DATAM SERVENT.

p] l. VI. c. 41.

§. V. Citra hoc enim ſi eſſet, plurima pars utilitatis periret, quæ humano generi ex communicatis invicem officiis enaſcitur. Ariſtoteles: *) *ſublatis pactis tollitur inter ſe uſus hominum.* Itaque merito idem ille Cicero nefarium eſſe dicit fidem frangere, quæ continet vitam. Galba eam inter *præcipua animi bona* refert apud Tacitum; q) *ſanctiſſimum humani pectoris bonum* Seneca; r) *juſtitiæ ſororem* Horatius; *fundamentum juſtitiæ* Cicero s) in *Officiis* appellat, id eſt, dictorum conventorumque conſtantiam & veritatem. Ex quo, quamquam hoc videbitur fortaſſe cuipiam durius, tamen audeamus imitari Stoicos, qui ſtudioſe exquirunt, unde verba ſint ducta: credamuſque quia fiat, *quod dictum eſt*, appellatam fidem, quæ tanto magis ſacra & ſancta debet eſſe ſummis humani generis Rectoribus, quo magis perſpicuum eſt, eos ad imperandum deligi ſolitos, quod apud Medos Herodotus, apud Romanos Cicero factum ait, quorum de juſtitia magna eſſet opinio multitudinis. t) Et juſtitia quidem in cæteris ſui partibus

*] Rhetor. 1. c. 15.

q] L. 1. Hiſt. c. 15. n. 6.

r] Ep. 18.

s] l. 1. c. 7.

t] Cic. de off. 2 c. 12.

partibus ſæpe habet aliquid obſcuri: at fidei vinculum ſe prodit, imò adeo quoque uſurpatur, ut omnis negotiis demantur dubietas obſcuritaſque. Omni igitur ratione Principibus colenda & retinenda fides eſt, cum ipſa propter ſeſe: nam alias juſtitiæ fundamentum non eſſet: tum propter amplificationem honoris & gloriæ, qua regni ſtat auctoritas.

§. VI. Sunt alii qui pacta publica eſſe ſervanda concedunt, præterquam hæreticis. Sed hoc iniquum eſt. Nam qui paciſcitur, eo quod paciſcitur, fruſtraneam eam eſſe actionem negat. Et contra rationem eſt ſcientem fruſtra facere. Idem ſi præſtandum pactum non putet, eo quod ſic putat, pactionem eandem fruſtraneam eſſe affirmat. Qui ergo paciſcitur cum eo, quicum fidem ſervare ſe teneri non putat, ſimul pactionem eſſe rem fruſtraneam & non fruſtraneam dicit, quod eſt abſurdũ. Cum omni igitur homine vel ſervanda eſt fides, vel ſi vitium perſonæ ſatis cauſæ ſit pacti violandi, ſatis etiam cauſæ debebat eſſe non paciſcendi. Noſtram ſententiam aliis rationibus ſuffulciunt Martinus Becanus *Societatis Jeſu Theologus* u) & Silhonius Politicus. v)

§. VII. Rurſus alii fidem hoſti ſervandam eſſe non negant tantum, ſed pernegant etiam. At vero hoſtes qui ſunt, homines eſſe non deſinunt. Hoſtes autem omnes, qui ad rationis uſum pervenerunt, capaces ſunt juris ex promiſſo. Ambroſius: *liquet igitur etiam in bello fidem & juſtitiam ſervari oportere.* Auguſtinus: x) *Fides quando promittitur etiam hoſti ſervanda eſt, contra quem bellum geritur.* Quod uti omnino obtinet circa conventiones, quibus bellum deponitur; ita & illæ quæ ſtatum belli relinquunt, etſi forte ex jure naturæ ſtricto parum firmitudinis accipiant, in favorem tamen virtutis militaris ſancte

u] Man. Controv. L. IV. c. 15.

v] Silhon du Miniſtre d' Eſtat P. II. diſcours 4.

x] c. Noli exiſtimare 1. c. XXIII. qu. 1.

y] L. VIII. de J. N. & G. c. 7. §. 2. ſanctæ obſervandæ ſunt. Sc. uti pulcre Sam. Pufendorſius y) obſervat, expedire rebus humanis videbatur, quædam velut belli commercia inſtituere, atque in artem quaſi bellum redigere, ut ſaltem innocentibus, ſi qui ſunt, injuriæ eo fierent tolerabiliores, ſi non omnem ſuam licentiam ſtatus bellicus exſereret. Accedit, quod bellatoribus noxia fere ſit opinio perfidiæ aut per conventiones aliis illudendi; & quod, qui *ſagax naſum* habent, nonniſi ſemel capiantur. Plaut.

§. IIX. Quid dicemus de Conventionibus ſummarum poteſtatum cum civibus rebellibus? Grotius (a ſervandas eſſe ſat copioſe deducit & probat Cardinalis Tuſchus. (b Nobis ita dicendum videtur. Regem paciſcendo cum civibus rebellibus delicti gratiam facit; adeoque obtentu rebellionis pacta non poſſunt irrita reddi. Rebelles autem per iſtam conventionem de integro civitati ſociantur, eique obedientiam ſpondere intelliguntur; cujus ſui obſequii velut conditionem præſupponunt obſervantiam pacti à civitate præſtandam. Sic ut in regnis illud vim legis fundamentalis obtineat, uti infra dicemus. Iis autem, qui ideo res novas moliuntur, ut Principi capita extorqueant, notandum eſt ac memori figendum pectore illud apud Barth. Grammondum: c) *Extra fidem regi debitam nihil eſt præſidio ſubditis.*

a] l. 3. c. 19. §. 6. ſequ.
b] Pract. concl. Tom. V. concl. 650. voc. Princeps n. 21.
c] l. 2. H. G.

§. IX. Illud vero Accianum: T. *fregiſti fidem.* A. *Quam neque dedi, neque do infideli cuiquam;* Et illud vulgatum:

Frangenti fidem fides frangatur eidem,

ita demum probari poſſunt, ſi prior alter non impleverit, quod ex ſua parte implere tenebatur. Nam unius ejusdemque contractus capita ſingula alia aliis ineſſe videntur per modum conditionis; quaſi expreſſum eſſet; *hæc ita faciam,*

faciam, ſi & alter faciat, de quibus convenit. Non tenebitur pro ſocio, qui ideo renunciavit, quia conditio quædam, qua ſocietas erat coita, ei non præſtatur. Adde c. Pervenit, quod eſt III. X. de Jurej. & L. Lege fundo. in f. D. de Leg. Commiſſ. & regulam juris in 6. *Fruſtra quis fidem poſtulat ſibi ſervari ab eo, cui fidem à ſe præſtitam ſervare recuſat* Neque admittendum hic diſcrimen capitum pactionum, quæ majoris quæque minoris momenti ſunt. Satis enim magna, ut ſerventur, videri debent, quæ pactis comprehenſa ſunt. a) Sed quo magis pactis caveatur, conſultum erit ut capitibus minoris momenti adjiciatur, ut ſi quid adverſus ea factum erit, pacta non rumpat & cetera rata maneant. Vide egregium exemplum in pace Juſtiniani, Juſtinianum inter & Choſroem. Menander Protector eam habet. Idem fuit in pace Pyreneica art. 21. & multis aliis conventionibus publicis apud Londorpium. Item, locum habere poſſunt iſta pronunciata, ſi compenſatio juſta opponatur, quamvis ex alio contractu, aut damno dato. Ne vero nulla ſit pactio, aut eludi facile queat, compenſari non poteſt manente bello, aut id unde ortum eſt bellum, aut quidquid belli jure fieri aſſolet, ſed v. c. ſi quid alter, quamvis ex alio contractu, inter bellum inito debet: ſi damnum dedit intra induciarum tempora: ſi legatos violavit, aut aliud quid fecit, quod inter hoſtes jus gentium damnat. b) Extra hæc exempla utique & perfidis & hoſtibus perfidis fides eſt ſervanda. Atque hoc nomine Regulum laudans ſic compellat Silius:

L. ſi convenerit 14. pro ſoc.

a] Grot. l. 3. de J. B. & P. c. 20. §. 35.

b] vid. H. Grot. l. III de J. B & P. c. 19 §. 13. 14. 15. 16. 17. & 19.

Qui longum ſemper fama gliſcente per ævum
Infidis ſervaſſe fidem memorabere Pœnis.

Atque his ipſis Pœnis, licet perfidis, Romani fidem ſemper ſancte ſervaverunt. Salluſtius: *Bellis Punicis omnibus*

cum

cum ſæpe Carthaginienſes & in pace & per inducias multa nefanda facinora feciſſent, nunquam ipſi per occaſionem talia fecere.

CAPVT III.

De firmamentis conventionum publicarum ex jure Divino ſcripto.

SUMMARIUM.

§. I. Firmamenta accipiunt conventiones publicæ ex jure Divino per *expreſſa præcepta.*

§. II. *Ex immutabili DEI juſtitia.*

§. I.

QUæ naturæ lex per dictata rationis de firmamentis conventionum publicarum nobis præſcribit, ea ſacra quoq; oracula ſatis ſuperq; inculcant. Quid enim aliud eſt, *non invades in alienum,* quam, *non invades in id, quod pacto tuo tuum aut certe commune eſſe deſiit.* Expreſſim autem Pſalmo ſecundũ Latinos XIV. v. 1. quærenti, *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requieſcet in monte ſancto tuo?* Reſponſum eſt a) *qui loquitur veritatem in corde ſuo, qui non gerit dolum in lingua ſua: qui jurat proximo ſuo & non decipit. Qui facit hæc, non movebitur in æternum.* b) Solomo proverbiis: c) *Fili mi, ſi ſpoponderis pro amico tuo, defixiſti apud extraneum manum tuam, illaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis ſermonibus. Fac ergo quod dico, fili mi, & temet ipſum libera: quia incidiſti in manum proximi tui. Diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum: Ne dederis ſomnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ. Eruere quaſi damula de manu & quaſi avis de manu aucupis.* Et hinc

a] v. 3. & 4.

b] verſ. 5.

c] Prov. VI, v. . vid. Card. Tuſch. T. V. Concl. pract. 3. 4. & 690 voc. pacta & princeps.

hinc Hebræis promiſſio vocatur *vinculum* & voto comparatur. d) Similis origo vocis ὑποσχέσεως notata Euſtathio ad ſecundum Iliados: ἁλίσκει γὰρ πως καὶ κατέχει τὸν ὑποσχόμενον ὁ τὴν ἐπαγγελίαν δεξάμενος: *Capit ac vincit quodammodo promiſſorem , is cui fit promiſſio.* Quem ſenſum non male ſecundo Metamorphoſeón expreſſit Ovidius , ubi promiſſor ei, cui promiſerat, ait:

Vox mea facta tua eſt.

Ut claudam omne effugium ecce palam de Principibus! *Non decent ſtultum verba compoſita , nec Principem labium mentiens* e) Quid obtendis tu Politice? Publicum bonum? Sed enim vir ſanctus occurrit: *& mentiri*, inquit, f) *non licet, nec pro DEI laude.* Tu pro humana aliqua recula aut gloria vis? g) *Vide, vide* (ut invertam tibi dictum vetus) *ne dum terram defendis, cælum amittas.* h)

§. II. Ejus quod dicimus aliud inſigne nobis argumentum ſacer codex præbet, ex quo diſcimus , quod Baldo etiam obſervatum, i) DEum ipſum, qui nulla conſtituta lege obſtringi poteſt, contra naturam ſuam facturum, niſi promiſſa præſtaret. k) Unde ſequitur , ut pacta ſerventur venire ex natura immutabilis juſtitiæ, quæ DEO & omnibus his , qui ratione recta utuntur ſuo modo communis eſt; habemus enim revera homines , ut Horatius ait,

Divinæ particulam auræ

& ut Maro,

Ætherium ſenſum;

atque adeo venerabile ſoli
Sortiti ingenium , divinorumque capaces
Senſum à cæleſti demiſſum traximus arce. *

Præcipue autem eos , qui DEI in his terris vices gerunt, quique & ipſi in divinis Oraculis Dii vocantur , omnem

d] Num. XXX, 4. 5. 6.

e] Prov. XXVII, 7.

f] Auguſtinus ep. 8.

g] Lipſius IV. Pol. c. 14.

h] Demadis apud Val. Max. l. 7. c. 2. ext. 10. & Suidam.

i] In L 1. D. de pactis.

k] Nehem. (qui & Esdræ II. dicitur) IX, 8. Hebr. VI. v. 18 1. Cor. X. 13. 1. Theſſ. V. 24 Rom. III. 3. II. Theſſ. III. 3. II. Tim. II. v. 13.

* Juvenal.

navare oportere operam facile intelligitur, ut quam proxime accedant ad Divinam ſuæ proximam Majeſtatem.

CAPUT IV.

Quænam Firmamenta Conventiones publicæ habeant ex Jure Gentium?

SUMMARIUM.

§. I. Quæſtio, an à JURE GENTIUM conventiones publicæ firmamenta accipiant &, *an detur Jus Gentium ſeparatum & diſtinctum à jure naturali* expenditur, & libratis ajente neganteque ſententiis, ea quæ negat, præponderare videtur.

§. II. Quocunque tamen modo jus Gentium ſumatur, oſtenditur, id firmas velle conventiones publicas; moreſque & LL. citantur.

§. I.

HAnc Juris Divini ſcripti & non ſcripti conſenſionem gentes humanæ agnoſcunt omnes & probant legibus, adeo ut quidam conventiones omnes ex Jure Gentium oriri & ab ipſo firmari dicant contentè. Hermogenianus: a) *Ex hoc Jure Gentium*, ait, *introducta bella: diſcretæ gentes: regna condita: dominia diſtincta: agris termini poſiti: ædificia collocata: commercium, emtiones, venditiones, locationes, conductiones, obligationes inſtitutæ.* In eundem ſenſum, ſed fortius, loquitur Juſtinianus. b) *Jus autem Gentium omni humano generi commune eſt. Nam uſu exigente & humanis neceſſitatibus, gentes humanæ Jura quædam ſibi conſtituerunt*, & poſt quædam: *Et ex hoc Jure Gentium omnes pene contractus introducti ſunt, ut emtio & vendi-*

a] L. Ex hoc jure 5. D. de J. & J.

b] §. 2. J. de J. N. G. & Civ.

venditio, locatio & conductio, ſocietas, depoſitum, mutuum & alii innumerabiles. Wiquefortius ait: c) *j' eſtime devoir dire, que comme les contracts, qui ſe paſſent entre les particuliers, ſont fondes ſur les loix civiles, ainſi les traitez qui ſe font entre les ſouverains, ſont fondez ſur le Droit des Gens:* Id eſt: *Recte dici poſſe arbitror, quod, ſicuti contractus qui inter privatos ineuntur, legibus civilibus nituntur; ſic à ſummis imperantibus factæ conventiones ſtent jure gentium.* Johannes Seldenus d) decus Britanniæ, cum Jus Gentium pluribus commune tribuiſſet in imperativum & interveniens, *hoc*, inquit, *eſſe dicimus, quod non ex communi pluribus imperio, ſed interveniente ſive pacto, ſive morum uſu natum eſt, & jus gentium ſecundarium ferè ſolet indigitari. Ejus capita cernuntur in clarigationis, legationum, captivorum, poſtliminii,* fœderum, *commerciorum, & id genus aliorum pluribus gentibus intervenire ſolitorum jure.* f) Nos inficias ire nolumus, dari jura quæ Gentes invicem copulent, eaque Gentium appellari poſſe; ex conſenſu tamen populorum mutuo, eoque vel expreſſo vel tacito, ea appellanda, aut à jure naturali diſtinguenda haut æque exiſtimamus. Nam expreſſus conſenſus in pactum vel contractum, non novam juris ſpeciem tranſit, ſiquidem proprio *juris* vocabulo utamur. Ad tacitum conſenſum ſigna requiruntur ſeu indicia voluntatis, & quidem illorum, qui ex pacto debent obligari. Hæc ſigna neque ex ſucceſſivo Gentium beneplacito, & longo uſu juxta Albericum Gentilem, g) Rachelium h) & H. Grotium i) neque ex præſcriptione, quod Seldenus putavit, k) neque ex contextu Rerump. oſtendi poſſunt, uti ſolidiſſime demonſtravit JCtiſſimus Hertius, l) his fere uſus rationibus. Conſuetudo, jus ſolum facit inter cives ejuſd. civitatis, non inter liberos populos. m) Jam quot actus requirantur,

c] de l'Ambaſſadeur P. II. p. 176.

d] l. 1. de mar. clauſ. c. 3.

e] l. 1. de mar. clauſ. c. 3.

f] Add. ejuſd. lib. c. 26.

g] l. 1. de Jure Belli 1.

h] Diſſ. de Jure Gent. §. 30.

i] l. 1. c. 1. §. 14 conf. proleg. § 40.

k] d. l.

l] Diſſ. de [illegible] Sect. I. § 2.

m] Add. V. C. Chriſt. Thomaſ. Juriſpr. Div. l. 1. c. 2. n. 105. 106. 107. 108. & 109.

rantur, quis dicet? & quod quidam plures actus deſiderant, univerſarum Gentium intuitu, ad ſingulas reſpectu habito ſufficere unum autumant, n) eadem opera negari poteſt, qua ii ajunt. Quis populos populorumque moderatores ad obſervationem conſuetudinis ipſorum aſſenſu nondum approbatæ adiget? aut quo jure adiget? Videndus heic omnino Thomas Hobbius. o) Quo pacto porro præſcriptio juri Gentium fundamentum ſubſterni poteſt? cum adhuc quæratur, habeat ne illa locum inter gentes, aut quomodo habere poſſit? Anne ergo denique Imperantes ex jure gentium ſanctimoniam habent ſuam? Minime Gentium. *Nam in ſtatu naturali,* inquit Vir Ampliſſimus, *prima juris naturalis propoſitio eſt, homines eſſe æquales, unde complura alia præcepta emanant. In ſtatu autem civili ſanctimoniam ſummis Imperantibus circumponit pactum, quo ſumma poteſtas transfertur. Atque ex hoc pacto itidem innumera juris naturalis præcepta derivantur. Sed & contextus Rerump. in præceptis juris naturæ cum univerſalibus, tum propriis, ex naturali ſtatu reſultantibus, continetur, ut jus Gentium ab iis diſtinctum confingere non ſit neceſſe.* Si quæ autem inter Gentes jura nunc & olim culta obſervantur, referenda ea ſunt vel ad jus naturale ἐξ ὑποθέσεως; quod *pro certo rerum ſtatu* vocat Grotius, p) vel ex conniventia invicem obſervantur; vel ex ſola libertate, quam homines ex jure naturæ habent, potuerunt oriri; Jam & illud obſervandum gentium jus quoque dici conſueviſſe quod eſt civile revera, à Seldeno q) *jus Gentium domeſticum*, à Grotio r) *jus civile plurium Gentium*, *lex civilis multarum nationum*, *jus multis populis ſeorſum commune* appellatum, quo referuntur ab Arthuro Duckio, s) Matth. Stephano t) P. Fabro, u) Vaſquio v) LL. Romanæ & ab H. Grotio x) *quæ de maritimis negotiis habitatoribus inſulæ Gothlandiæ placuerunt*,

n] vid. Textor. Synopſ. jur. Gent. c. 1. n. 26. 27.

o] c. 1. de cive §. 1.

p] l. 1. de J. B. & P. c. 1. §. 10.

q] 1. de mari clauſo c. 3.

r] l. II. de J. B. & P. c. 3. § 5. c. 8 §. 1. n. 2. & §. 26. l. III. c. 1. § 8.

s] de auct. jur. R. l. 1. c. 2 §. 3.

t] 1. de juriſd. P. 2. c. 7. n. 33.

u] 3. Sem. 14.

v] illuſtr. controv. 54. n. 4.

x] Proleg. ad Procop. Vandal.

coierunt, LL. Wysbienſes; aut naturale, vel communia gentium inſtituta ex populorum coloniis aut ſacrâ communione derivata, præſertim inter Chriſtianos olim ſub Imperatore, jam ſub Pontifice Maximo, eo nomine inſigniri. Quæ omnia pro ea, qua eſt ingenii præſtantia & doctrinæ incredibili varietate & copia, expoſuit pluribus Hertius Noſter, in laudata *de Lytro* commentatione, y) ubi etiam oſtendit nec novam eſſe ſententiam diſtinctionem nullam admittentium, nec Sapientibus etiam noſtræ ætatis indefenſam, nec quod doctiſſimus Vir, Samuel Rachelius z) exiſtimavit, pernitioſam. Veteres enim, præcipue JConſultos juris naturalis & Gentiū vocabulis promiſcue uti ex multis legibus intelligitur. *) Deinde cum illud ab hoc diſtinguunt, non rei ſed modi atque applicationis innuunt diſcrimen. vid. *in calce §.2. J. de J. N. G. & C.* & Theophili *paraphraſis* græca *d. tit.* Nimirum Jus naturale ob neceſſitates atque utilitates humanas inter Gentes jam exortas ſe exſerens, juris Gentium nomen induere cœpit. Ita ſentiunt Franzckius, a) Bœclerus, b) Scharrockius, c) Puſendorſius, d) Jac Thomaſius, e) Lud. Praſchius, f) Fridericus Rhetius, g) ac quem primum nominare debuiſſem, & claro loco & ardente virtute atque optimarum artium ſtudio Nobiliſſimus Vir, νῦν ἐν ἁγίοις. Vitus Ludovicus Seckendorſius. h) Idem exiſtimat Hobbius: i) *Præcepta utriusque*, inquiens, *eadem ſunt*, *ſed quia Civitates ſemel inſtitutæ induunt proprietates hominum*, *lex*, *quam loquentes de hominum ſingulorum officio*, naturalem *dicimus*, *applicata totis civitatibus*, *nationibus ſive gentibus*, *vocatur* jus Gentium. Atque ſic nos elocuti ſumus, quod in pectore clauſum gerimus de vexata diſputatione: Viros autem raræ eruditionis & nominis clariſſimi, quibus à Juſtiniani Cæſaris ſententia recedere religio eſt, vel qui bona fide in alia

y] Sect. I. §. 3. 4. 5. 6. 7. 8 & 9.
z] Diſſert. de Jure Gent §. 16. & §. 119.
* vid. L. 84. §. 1. de Reg. Jur. L. 31. D. Depoſiti L. ult. in f de condict. ſine cauſ. L. 8. & L. Sororis 39. & L. ult. de R. N. L. 38. §. quare 2. ad L. Jul. de Adulter.
a] Exerc. 1. qu. 4. & 5.
b] ad II. H. Grot. de J. B. & P. c. 7. §. 18.
c] de off. ſec. jus nat.
d] II. de J. N. & G c. 3 §. 22.
e] Medit. pol. c. 2. §. 8.
f] de JCto vero & perſecto §. 14.
g] ad I. F. 1. n. 4.
h] Entwurff oder Bericht von dem allgemeinen oder natürlichen Rechte p. 418. ſeqq.
i] de Cive c. XIV. §. 4.

alia omnia abeunt, ſerio ſuſpicimus veneramurque, defunctorumque caris cineribus favillæque optare ſemper ſolemus,

tenuem & ſine pondere terram
Spiranteisque crocos, & in urna perpetuum ver;

vivorum, ob multa in Remp. civilem & litterariam merita, capita, ſertis ex roſis, liliis, & quidquid eſt pulchriorum florum, nexis redimimus. Ceterum agnoſco, ac lubens, iterum Magiſtri mei Optimi k) veſtigia premens, cum illationes, à plurimis & communibus juris naturæ principiis longius deductis, operoſiore atque prolixiore opus habeant demonſtratione, malle populos populariter agere, & ad jus uſu receptum provocare, quam ancipiti diſputationum atque illationum aleæ ſe committere. Unde in *Apologeticis* populorum Principumque (*Manifeſtes*, Manifeſte vocamus) ſæpe *jus Gentium violatum* cauſantur. Ceterum exemplis populorum inniti quam lubricum ſit, documento non uno cum ipſe Grotius, tum alii multi demonſtrarunt. Quamquam diſtitendum non eſt, conſenſum Gentium omnium aut ſaltim moratiorum ad illuſtrandum naturæ jus multum valere; certe à poſteriori juris naturalis eſſe, ut recte Grotius l) docet, colligitur id, quod apud omnes gentes, aut moratiores omnes tale eſſe creditur. *Nam univerſalis effectus*, inquit ὁ Μέγας, *univerſalem requirit cauſam: talis autem exiſtimationis cauſa vix ulla videtur eſſe poſſe præter ſenſum ipſum, communis qui dicitur.*

k) Cl. Hert. Diſſ. de Lytro Sect. I. §. 10.

l) l. 1. de I. B. & P. c. 1. §. 12.

§. II. Quocunque autem modo capiatur jus Gentium & ex quocunque fonte deducatur, certum indubitatumque eſt, iſtud ſarta tecta velle pacta publica. Quæ gens tam barbara, tam fera, ut non ineat pacta de negotiis publicis, & inita ſervata cupiat? Hebræos fidei publicæ obſer-

obſervantiſſimos fuiſſe ſacra oracula teſtantur. Fide ante Germanos neminem fuiſſe Tacitus memorat; idem de Scythis Q. Curtius prædicat. Romani diu rerum Domini nihil prius, nihil antiquius habere ſe videri volebant, quam, ut quantum ceteras gentes viribus, tantum quoque omni virtutum genere, ac præcipue fide, ſuperarent. Idque paſſim legibus ipſorum proditum eſt, *quas communes eſſe toti Orbi & cunctis gentibus & populis* Johannes Arze ab Otalora m) ſcribit. Dicitur in L. 1. D. de pactis, *nihil eſſe tam congruum fidei humanæ, quam ea, quæ inter homines placuerunt, ſervare.* Alibi: *Grave eſſe fidem fallere.* Prætor edicto de Pecunia Conſtituta, ubi nulla in conſtituente debendi cauſa præceſſerat, præter conſenſum, dicitur favere naturali æquitati. n) Eadem in Pontificum Conſtitutionibus reperiuntur. In *c. 3. X. de pactis* dicitur: *ſtudioſe agendum eſt, ut ea quæ promittuntur, opere compleantur.* Iſocrates adverſus Callimachum: *In fœderibus & pactis, tanta vis eſt, ut pleraque res, tum Græcorum tum Barbarorum, ex pactis & conventis tranſigantur. His enim freti convenimus & commercia agitamus: Per hæc inter nos contrahimus: per hæc cum privatas inimicitias, tum communia bella deponimus: Hoc uno tanquam communi bono, homines omnes uti non deſiſtimus.*

m] de Nobilit. Hiſpan. c. 5. n. 5. in Oc. Jur. T. XVI.

n] L. 1. D. de conſt. pec.

CAPVT V.

De Firmamentis conventionum publicarum, quæ à conſiliis humanis proficiſcuntur, in genere, eorumque diſtributione.

SUMMARIUM.

§. I. Oſtenditur firmamenta conventionum publicarum *ex jure divino, naturali juxta & revelato*, nec non *jure gentium*

gentium non ſatis valida eſſe in *ſtatu naturali.*

§. II. Ideo alia eſſe petita A CONSILIIS HUMANIS.

§. III. Hæc *dividuntur* (1) in *generalia* ſeu communia & *ſpecialia*, & illa varie *ſubdividuntur.*

§. IV. (2) In *uſitata* & *antiquata.*

§. V. (3) In *neceſſaria* & *ſupervacanea*, quæ vocantur *cautelæ abundantes.*

§. I.

VIdimus quam ſanctimoniam addant conventionibus publicis & ſacra naturæ dictamina, & divina Oracula, & mores Gentium cultiorum omnium. Sed quam dubiæ ſunt res humanæ omnes, tam fluxa inter mortales fides, tam infida pacta hominum in ſtatu naturali viventium, præcipue eorum, quorum ex ipſa Reip. figura, eſt

Sulpic. ſat. v. 57.

longa & gravis exitium pax.

Vah! quam ea ſalutem hominum, niſi alia extrinſecus firmamenta accedant, malignè admodum cuſtodiunt. Scimus omnes

quo pacto ſoleant perplexarier:
Pactum non pactum eſt, non pactum pactum eſt; cum illis lubet. a)

Amici & fidi videntur? circumſpice.

O vita fallax, abditos ſenſus geris! b)

Nimis *multis ſimulationum involucris tegitur, & quaſi velis quibuſdam obtenditur uniuscujuſque natura. Frons, oculi, vultus perſæpe mentiuntur, oratio vero ſæpiſſime.* c) Quod ille clamabat olim: ὦ φίλοι οὐδεὶς φίλος: *O amici nemo amicus;* id heic licet. Enimvero ex oraculo ſcriptum:

Ut nemo doceat fraudis & ſcelerum vias,
Regnum docebit. d)

Ex tripode igitur Naſo:

Pax tamen interdum eſt, pacis fiducia nunquam. e)

Ejus

a] Plaut. Aulular. act. 2. ſc. 2. v. 81.
b] Seneca Hippolyth. act. 2.
c] Cicer. ad. Q. Frat. ep. 1. c. 5.
d] Senec. Thyeſt. act. 2. v. 210.
e] l. V. triſt. El. 2.

Eius rei quæ cauſa eſſe alia poteſt quam hominum in ſtatu naturali viventium æqualitas &, quod Salluſtius ait: *Natura mortalium avida imperii & præceps ad explendam animi cupiditatem: præterea opportunitas, quæ etiam mediocres viros ſpe prædæ transverſos agit?* Negari enim nequit, quod & Benedictus de Spinoza f) demonſtrare anniſus eſt, homines neceſſario eſſe affectibus obnoxios & ita conſtitutos, ut eorum quibus male eſt, miſereantur, & quibus bene eſt, iis invideant, atque ut ad vindictam magis quam ad miſericordiam ſint proni. Unusquiſque præterea avide optat, ut reliqui ex ipſius ingenio vivant, quæ probat, probent, quæque ipſe repudiat, repudient. Unde ſit, ut, cum omnes cupiant primi eſſe, in contentiones veniant, & quantum poſſunt, nitantur alii alios opprimere, & qui victor evadit, magis glorietur, quod alteri incommodavit, quam quod ſibi commodum peperit. Et quamvis omnes perſuaſi ſint, religionem contra docere, ut unusquiſque proximum ſuum tanquam ſeipſum amet, hoc eſt, ut jus alterius perinde ac ſuum defendat, hanc tamen perſuaſionem in affectus parum poſſe, quis eſt, quem non experientia condoceſceerit? Valet quidem in articulo mortis, quando ſc. morbus ipſos affectus vicit, & homo ſegnis jacet ut caudex & ſtipes, vel in templis, ubi homines nullum exercent commercium: inde *pax Dei* vocatur tempus cultui divino adhibitum, diebus dominicis, feſtis, vigiliis: g) At minime vel in ſtatu naturali, vel in aula, ubi maxime neceſſe eſſet. Ratio quidem multum poteſt & ad coercendos & ad moderandos affectus; ſed cum via, quam ipſa ratio docet, ſit perardua, qui ſibi perſuadent, poſſe multitudinem, vel qui negotiis publicis diſtrahuntur, induci, ut ex ſolo rationis præſcripto vivant, ii ſeculum Poetarum aureum, ſeu fabulam ſomnient. Libanius:

Jugurth.

f] Ethices P. III.

g] Spelmann. Gloſſ. voc. Pax.

Nonne mite quidem animal verborum tenus homo eſt, ſed rebus ipſis agreſte & effrane? Nam quænam leonum adverſus leones expeditio? quod bellum inter ejusdem generis belluas? quod apud illas eſt perjurium? quæ pactorum violatio? quæ perfidia tanta & avaritia? quod apud illos aurum & pecuniarum amor? quas commeſſationes aut crapulas, quæ norunt adulteria? Ehem quam leves ſæpe ob cauſas ad arma, ad horrida arma curſum eſt! Apud Virgilium g) inter Trojanos Latinoſque cervus

g] Æn. VII, 481. & ſeqq.

prima malorum
Cauſa fuit, belloque animos accendit:

geminæ tigres, apud Statium: h) canes erepti inter Scotos & Pictos, teſte Bodino, i) & (tuam fidem, o optime!) pelles ovinæ Helvetios inter & Burgundum. (k

Fuit ante Helenam cunnus teterrima belli
Cauſa: *

h] VII. Thebaid. v. 481.
i] l. V. de Rep. n. 620. add. id. l. IV. n. 472.
k] Philipp. Commin. L. VII. Vid. G. de P. de repreſſaliis.
* Horat. 1. Sat. 3.
l] l. 1. c. 12.
m] 1. de LL.

Itaque non in ſolos Romanos Pœnoſque quadrat illud Velleji: l) *Aut bellum inter eos populos, aut belli præparatio, aut infida pax.* Non male Clinias Cretenſis apud Platonem, m) dum rationem reddit, quare Cretenſium legislator multa de re militari conſtituerit, arbitratur, *eum ſtultitiæ crimine permultos condemnaſſe, quod minimè intelligant, bellum civitatibus omnibus cum omnibus juge ac perpetuum eſſe. Quam enim plerique pacem nominant, id eſſe nomen ſolummodo exiſtimandum: re vero ipſa omnibus civitatibus adverſus omnes non indictum bellum* (ἀεὶ πόλεμον ἀκήρυκτον) *natura eſſe.* Ita utique rem ſeſe habere, ſi ad hominum ingenia reſpexeris, noſtri ævi Philoſophus n) confirmat: *Status Civitatum inter ſe naturalis* i. e. hoſtilis eſt; *neque, ſi pugnare ceſſent, idcirco pax dicenda eſt, ſed reſpiratio, in qua hoſtis alter alterius motum vultumque obſervans, ſecuritatem ſuam non ex pactis, ſed ex viribus & conſiliis adverſarii æſtimat.*

n] Hobbeſ. c. 13. de Civ. §. 7.

§. II. Quem-

§. II. Quemadmodum igitur probi eſt hominis fidem publicam obligatam liberare: ita cauti eſt viri, ſuæq; ſalutis amantis conventiones publicas, quarum anima fides eſt, talibus undiquaque vinculis conſtringere, δι᾽ ὧν (ut Polybii verba huc accommodem) ὁ πιστευθεὶς μὴ δυνήσεται τὴν πίστιν ἀθετεῖν, *per quæ is cui fiditur mutare fidem nequeat*, ſive ratione ducatur, ſive affectu. Nec enim ad ſecuritatem refert, quo animo homines inducantur, ad præſtanda pacta conventa, modo præſtent; animi enim libertas ſeu fortitudo privata virtus eſt; at imperii virtus ſecuritas. Unde roborandis muniendiſque conventionibus publicis omnes fere Gentes ætateſque peculiarem hactenus induſtriam impenderunt. Atque adeo A CONSILIIS HUMANIS orta ſunt FIRMAMENTA quædam, quæ à firmamentis ex jure divino naturali juxta & revelato, item jure Gentium proditis ita fere differunt, uti proviſio legis & proviſio hominis. Ad perfidiam, inquis, irritat, qui de alterius fide dubitat, & melius erat, pactorum firmitudinem ipſorum paciſcentium fidei & ſanctiſſimis legibus inniti. Reſpondeo Senecæ o) verbis: *Utinam nulla ſtipulatio emtorem venditori obligaret, nec pacta conventaque impreſſis ſignis cuſtodirentur, fides illa potius ſervaret & æquum colens animus! Sed* neceſſaria *prætulerunt* optimis, *& cogere fidem, quam ſpectare malunt.* o] III. de benef. 15.

§. III. Firmamenta hæc alia ſunt *generalia*, quæ omnibus aut pleriſque conventionibus publicis addi poſſunt, alia *ſpecialia*, quæ quibuſdam tantum peculiaria ſunt; ut *firmamenta* pactorum publicorum quæ à legatis fiunt, *lex commiſſoria* inter ſummos Imperantes & ſubditos, *confirmatio privilegiorum, ubi poſt bellum civile amneſtia* fit, in renovatione fœderum non tranſire ad novos tractatus, & quæ ſunt alia. Generalia vel *ad modum probandi pertinent*, ut

inſtrumenta, quibus accedunt *ſubſcriptio*, *ſubſignatio*, *relatio in acta* publica; affines inſtrumentis ſunt *cippi*, *ſtatuæ*, *pyramides*, & monumenta ſimilia; vel *ipſum fidei vinculum arctius conſtringunt*, vel *ob vim metumque damni* à violatione pacti, vel *quia fallere* (ut ſignum impotentiæ) *dedignentur* paciſcentes. Poſterior hæc cauſa Generoſitas adeo rara eſt, ut in rationes venire non debeat, niſi forte huc referre velis *renovationem*. Solus metus conſiderandus eſt, isq; duorum generum, quorum alter eſt *metus Potentiarum inviſibilium*, alter *metus potentiæ humanæ*; & prior quidem metus eſt majoris potentiæ; poſterior autem major metus. Metus prior à ſua cujuſque religione eſt. Unde uſitatiſſimum & veluti ſolenne conventionum publicarum firmamentum ſemper habitum *jusjurandum* fuit. Metus poſterior infertur ei qui pactorum fidem diremit, vel ab eo qui læſus eſt, vel ab aliis, qui obligationem in ſe receperunt, puta *Fidejuſſoribus*. Metus qui à læſo lædenti infertur, in fertur vel *in perſonis*, puta liberis, qui juxta illud Poetæ, cuique ſunt vita altera, uxore, ſervis, civibus; hinc juramentis adjungit Polybius in enumerandis conventionum publicarum cautionibus *Obſides*, alii addunt *matrimonia*; vel *in rebus*, quæ *pignoris nexu* obligantur. Non autem ita exiſtimandum eſt, ac ſi firmamenta omnia conventionibus publicis omnibus, aut ſingula ſingulis tantum accommodari poſſent deberentque. Sc. prout Reipublicæ genus ac figura, prout negotii indoles, genius populorum, ſitus regionum, conſcientia virium vel noſtrarum vel vicinorum, denique prout interna civitatis ſtructura ac compages, vel altiſſimæ quæſitiſſimæque imperandi rationes expoſcunt, ita ſumenda eſſe firmamenta, ratio dictat. Nam profecto aliæ aliis circa hæc talia rationes conſtant rebuſp.; aliud regionis ingenium alios mores poſtu-

lat,

lat; denique ea imperii cauſa eſſe poteſt, ut fere nuda fide niti tutius, vel hoc potius quam alio pacto ſibi conſulere magis è Republica videatur. Diſputationem ſcrupuloſam, qualia firmamenta adhibenda, & quæ Pontificis conſilio terminanda veniebat, habes in tractatu inter Deputatos Philippi Longi Regis & Robertum Comitem Flandriæ A. 1317. apud Leibnizium. p)

p) C. J. G. D. dipl. 50.

§. IV. Porro firmamenta alia ſunt *nunc & olim uſitata*, alia *antiqua* & deſuetudine inumbrata. Nos quid repens, quid vetuſtate obſcurum breviter & capitulatim ſuo quodque loco attingemus.

§. V. Denique firmamenta alia utilia ſunt aut fere *neceſſaria*, quæ adhibita effectum habent, alia ſunt *ſupervacanea, cautelas abundantes* vocant Pragmatici, quæ ſuperpondii quaſi loco, ut Apulejano verbo utar, & majoris ſolemnitatis cauſa adjiciuntur; ſive quæ ſeparatum effectum non habent, ſed illud plerumque, quod jam ineſt conventioni, planius & plenius exponunt. Sic abundans cautela eſt, cum inter liberos populos exceptionibus & remediis juris Romani Cæſarei Pontificiique renunciatur, ejus enim in Gentes liberas auctoritas nulla eſt: cum ratihabitione confirmantur conventiones, quas iniere legati ſufficientibus mandatis inſtructi; obligamur enim utique per hominem alterum, ſi conſtet de voluntate noſtra, qua illum elegerimus, ut inſtrumentum noſtrum ad hoc ſpeciatim, aut ſub generali notione, uti deinceps memorabimus: cum fœdera ab impubere facta à pubere Rege firmari jubentur, ex eadem fere ratione, & quæ ſunt alia in hanc ſententiam. Hæc tamen cautela abundans fuit in fœdere Anglorum & Gallorum apud Grammondum a) Iſtâ hodie nihil frequentius eſt. Illius exempla quædam ex ipſis actis & inſtrumentis publicis conſignabimus.

a) H. G. l. 5 ad A. 1620.

mus. In fœdere inter Eduardum Regem Angliæ & Guidonẽ Flandriæ Comitem contra Regem Franciæ inito A. 1296.

b] apud d. Leibniz. Tom. I. C. J. G. D. dipl. 21. §. 6. ſub fin.

b) dicitur, *renoncions au droict Ki vol, Ke generale renonciation ne deit valer*, id eſt, ut verbum verbo exprimam, *renunciamus juri volenti generalem renunciationẽ valere non debere.* Cum Philippo Valeſio tractans Joannes Bohemiæ Rex de Lucenſi Civitate A. 1334. c) renunciat *læſioni ultra dimidium.*

c] Id. dipl. 73. §. 4.

In confœderatione Amedæi Ducis Sabaudiæ cum Rebusp. Veneta & Florentina contra Ducem Mediolani. Venetiis 11. Julii. A. 1426. d) renunciant paciſcentes inter alia exceptioni *non ſic celebrati contractus, & omnium exceptionum & condictionum, ſine cauſa vel ex injuſta cauſa, privilegio fori, doli mali, & in factum, novarum Conſtitutionum Divi Adriani de fidejuſſoribus, & omni alio* (debebat eſſe *alii*) *Legum, jurium, & conſtitutionum auxilio, & Legi dicenti generalem renunciationem non valere, nec non omni privilegio &c.*

d] apud Leibniz. C. J. G. D. dipl 137. §. 15.

In pactis dotalibus inter Henricum Ducem Brunſwicenſem & Sophiam Sigiſmundi Auguſti Poloniæ Regis filiam A. 1555. e) ſpondetur utriq; parti ab altera omnia intemerata conſervatum, præſtitum & impletum iri bona fide & ſine ulla tergiverſatione, *defenſionibuſque & ſubſidiis juris Canonici & Civilis.* Alibi non contenti renuntiare legum auxiliis etiam renunciant *Gloſſis & Summis.* f) Hæc tamen nos hac lege atque omine inter cautelas abundantes referimus, niſi Princeps pactis ad certum quoddam jus obſervandum populo, aut alii feudi nexu obſtringatur, aut ipſi paciſcentes, ex vi ſupereminentis imperii & communis Reipublicæ reſpectu, communione quadam juris utantur. Ceterum de cautelis abundantibus circa conventiones privatas recepta Sapientum ſententia eſt, quæ etiam publicis accommodari poteſt, quod contractui adjectæ non noceant, hoc eſt, non vitient ſcripturam.

e] apud S. Stryck. de cautel. contract. Sect. III. c. 8. §. 39.

f] Leibniz. in præf. C. J. G. D.

ram. g) Auguſtinus: h) *ſolet enim*, inquit, *a viris peritis dici, ſuperflua non nocent.* Uti tamen in omni vita apprime utile eſt, *ut nequid nimis*; ita & heic quoque. *Multi fallere docuerunt, dum timent falli*, inquit Romanus Sapiens. i) Quo plus enim cautelæ, eo plus fraudis præſumitur, & quo abundantior cautela, eo evidentior fraus, inſolitæque clauſulæ conventionem reddunt ſuſpectam. k) Polybii l) hic dogma aureum: *oportet eos, qui rebus præſunt, nihil magis curare, quam ut ne eos lateat, quo animo ſint, qui aut bella finiunt, aut amicitias conſtituunt, quando temporibus cedentes & quando revera animis fracti pacem ineunt, ut illos quidem, tanquam ſubſeſſores & inſidiatores temporum, obſervent ac caveant, iſtis fidem habentes, tanquam vere ſubditis aut amicis, quidquid evenerit, imperent atque præcipiant.* Adeat qui volet Sam. Stryckium cum citatis *de cautel. contract. Sect. 1. c. 1. §. 14. & 15.*

g) L. 65. D. de V. O. L. 1. C. de teſtam. L. 94. D. de reg. jur. Mev. P. VII. Deciſ. 166. num. 1. Wiſſenbach. ad L. 94. ſ. ult. D. de R. J. Card. Tuſch. Pract. concluſ. l. A. concl. 135. n. 2.

h) 4. de civit. Dei 27.

i) Senec. epiſt. 3.

k) Card. Tuſch concl. pr. 162. L. C. Hering. de Fidej. c. 17. n. 13. Coler. de Proceſſ. Execut. P. 1. c. 10 n. 2. Brunnem. cent. 3. Dec. 77. n. 6. Klock. Vol 2 Conſ. 54 n. 4 Tiraquell. de retract. præf. n 18. Maſc. de probat. concl. 532. n. 101.

l) l. 3. c. 12.

CAPUT VI.

De firmamentis conventionum publicarum, quæ ad probandi modum *attinent*, INSTRUMENTIS *puta, ſimilibusque.*

SUMMARIUM.

§. I. Firmamenta conventionum publicarum, quæ ad probandi modum attinent, ſunt INSTRUMENTA.

§. II. In his ſpectantur EXTERNUM, ut *Scriptura*.

§. III. *Lingua*.

§. IV. *Materia*, in qua ſcribitur.

§. V. VI. VII. VIII. IX. X. INTERNUM, ut *Formulæ*, circa quas regulæ quædam obſervari jubentur.

§. XI. *Subſcriptio*, quæ ſit

§. XII. Manu propria.

§. XIII. Nomine proprio.

§. XIV. Juſto ordine.

§. XV. Interdum Vino Euchariſtico.

§. XVI. Etiam ab aliis, puta Sponſoribus.

§. XVII. Notariis.
§. XVIII. Teſtibus.
§. XIX. In loco commodo.
§. XX. *Subnotatio temporis.*
§. XXI. *Sigillatio*, quæ fit
§. XXII. Sigillo proprio.
§. XXIII. Solito (1.) ratione formæ.
§. XXIV. (2.) Ratione materiæ,
§. XXV. Incorrupto.
§. XXVI. Cum mentione ſigilli.
§. XXVII. AFFINIA Inſtrumentorum.

§. I.

IN obligationibus inter homines invicem contrahendis neceſſum eſt, per ſigna voluntas ſignificetur. Actuum enim voluntatis, quoad ſignis non manifeſtantur, nulla inter homines vis, nullus effectus eſſe poteſt. Sunt vero ſigna quidem minus perfecta geſtus, quos in commerciis adhiberi oportet inter linguis diſſonos: hinc repertus *character noeticus* ſive ſemiologia: perfectiora autem *verba utrinque intellecta.* Hæc porro ne in auras abeant & tradantur protervis in mare Creticum portare ventis, inſtitutum eſt, ut SCRIPTURA adhiberetur, non quidem ut ſubſtantiæ conventionum pars, ſed ut *firmamentum. Fiunt ſcripturæ*, inquit Gajus JCtus m) *ut, quod actum eſt, per eas facilius probari poſſit.* Enimvero memoria hominum n) neceſſe eſt, quantum recipit, emittat, & antiquiſſima recentiſſimis obruat; ſcripta tradita poſteritati manent in Tabulariis publicis, in æternitate temporum, fama rerum, &, ut Plinius o) loquitur, *charta uſu maxime humanitas vitæ conſtat & memoria.* Chartæ autem nomine olim veniebat, quidquid excipiendæ ſcripturæ aptum eſſet, ut viri docti obſervarunt. p) Nuda quoque verba frequenter hâc exceptione eluduntur, quaſi præcipitanter, aut re non recta via cum animo reputata fuerint effuſa: ſcripta hanc exceptionem excludunt, quippe, quæ, dum concipiuntur, clare admodum, nec nullo interjecto inter-

m) L. 4. D. de fid. Inſtrum.
n) Seneca VII de benef. c. 28.
o) lib. 13. H. N. c. 11.
p) Mabillon. de Re Dipl. l. 1. c. 8. §. 1.

intervallo paciſcentium animis rem ſubjiciunt, ut, ſi quidem hæc adprobaverint, plenè in rem ipſam conſenſiſſe cenſendi ſint; ſic, ut ſi poſtea animi impetus prætexatur, nequidquam prætexatur. Vt taceam, non tam facile calumnioſis interpretationibus contorqueri ſcriptas conditiones poſſe, quam pacta nuncupativa, in quibus particula aliqua captioſè inſerta, quæ per celeritatem pronunciationis non animadvertebatur, aliam prorſus ſententiam efficere poteſt. Itaque ab omni ævo inſtrumentis authenticis magna fides habita eſt; quippe cum validiſſimum credatur, quod quis contra ſe ipſum dixerit, teſtimonium, & graviſſime accuſetur, qui ne ſuam quidem auctoritatem declinare poteſt. Apud Appianum Alexandrinum q) cum Muræna bello Mithridatem laceſſeret, iſtique legati Regis fœderum ſanctitate ſe tueri vellent, negavit ſe videre ulla fœdera: *ὐ γὰρ συναγράψατο Σύλλας, ἀλλ' ἔργῳ τὰ λεχθέντα βεβαιώσας ἀπήλλακτο*: *Nulla enim Sylla ſcripſerat, ſed exſecutione pactorum contentus diſceſſerat.* Inde ſolennes quædam formulæ in veteribus chartis receptæ. In diplomate induciarum inter Fridericum Imperat. & Wilhelmum Regem Siciliæ An. 1177. *ad hujus pacti, promiſſionis &c. memoriam & inviolabile* firmamentum, *præſens privilegium noſtrum per manus Fortunini Protonotarii noſtri ſcribi fecimus.* r) In diplomate quo Reginaldus Rex Inſulæ Man (de quo Regulo & ſimilibus ſingularia quædam habet Seldenus) s) ſe Vaſallum Sedis Romanæ, & ex Inſula ſua facit feudum oblatum Londini XI. Cal. Octobr. 1209: t) *Ne ſuper his aliquando poſſit dubitari, has literas fieri fecimus.* Similis formula eſt in fœdere trium Pagorum, Urienſis, Suizenſis & Underwaldenſis I. ♂ poſt S. Nicolai feſtum 1315. u) Marculfus auceps ille formularum: x) *neceſſe eſt inter ſe eorum facta ſcripturarum ſerie alligari, ne ab aliquibus in poſterum valeat refragari.* y) Quis omnes, quæ paſſim leguntur in hunc ſenſum, enumeret? Sexcentæ ſunt apud

q) de Bellis Mithridaticis.

r) Leibniz. C. J. G. D. dipl. 3.

s) de tit. honor. c. 3. §. 1.

t) Leibniz prodr. dipl. 6.

u) dipl. 37.

x) l. 2. form. c. 14.

y) add. Hier. Bignonius in notis ad h. l. apud V. C. Steph. Baluz. Capitular. Reg. Franc. tom. II pag. 937.

apud Mabillonium x) & Schatenium, y) ut & V. C. Leibniz. z) aliosque & Marculfum *in formulis*. Adeo nemo plane iſtis Senecæ a) album addet calculum: *Video iſtic diplomata & ſyngraphas & cautiones, vacua habendi ſimulacra, umbras quasdam avaritiæ laborantis, per quas decipiant animum, inanium opinione gaudentem. Quid ſunt iſtæ tabulæ? Voluntaria mala ex conſtitutione noſtra pendentia, in quibus nihil eſt, quod ſubjici oculis, quod teneri manu poſſit, inanis avaritiæ ſomnia.* Quid enim iis, præter apices litterarum habes? re ipſa dico habes: plus tamen vi & poteſtate.

x) de Re Diplomatica l. VI.
y) Annal Paderb. paſſim.
z) Cod. Jur. Gent. Dipl.
a) VII benef. c. 10.

II. Ne vitio illato infringatur fides inſtrumentorum, cautio eſt. Cautio iſta pertinet vel ad EXTERNA inſtrumentorum, puta *ſcripturam* ipſam, *linguam* & *materiam*, in qua ſcribitur, vel ad INTERNA, veluti *formulas ſolennes curialesque & alias, temporis locique ſubnotationem*, & *ſubſcriptionem* potiſſimum atque *ſubſignationem*. Ad SCRIPTIONEM ipſam pertinet, *ne quid temere, ne quid neglecte ſcribatur, ſed clare omnia & ſignate exprimantur*. Famoſum eſt exemplum Philippi Haſſiæ Landgravii, qui ad ſcopulos *Einig* & *Evvig* Granvellani aſtu naufragium fecit. Excuſari quidem talia peccata ſolent, vel incuria ſcribarum, vel ipſa rei exilitate. Ut Daniæ Rex An. 1641. ajebat: b) *Cæſaris diplomata re ipſa bona eſſe, ſed non ita ſecundum Grammaticam concinnata, ut Salvius Sueciæ Legatus velit.* Sed enim non debet leve, præſertim inter Principes, videri, quod cavillis obnoxium pactorum vim labefactare poteſt. *Hinc* Senatus *Regni* Sueciæ Legato reſcribebat: c) *In literis Salviconductus, quoad ſubſtantialia acquieſcere ſe poſſe; Attamen adhuc quosdam errores eſſe, qui non eo modo in autographo forſan extarent, aut, ſi extarent, mutandi eſſent. Velut inter cetera, licet Regina Cæſari ſuum competentem titulum*

b) apud Pofendorf XIII Rer. Suec. §. 84.
c) Loccen. Rer. Svec. l. 9.

titulum tribuiſſet, tamen non vice verſ: Reginæ ſuus attributus eſſet titulus, ſed quaſi obiter Sereniſſ. Reginam & Coronam Sueciæ *ſcriptum eſſe; Quod etiam Haſſiæ Landgravia in ipſis Salvi conductus litteris, cum omiſſione decentis tituli ſaltem* Illuſtr. *cum decurtata & ad oram epiſtolæ poſita ſcriptura vocaretur: ut ita ignoraretur, num* Illuſtris *vel* Illuſtriſſima *diceretur.* Suecis utiq; de exemplari Polonici Salvi conductus A. 1659. exhibito ita videbatur: reliqua corrigenda im Polniſchen Salvoconductu beſtehen in Grammaticalibus, welche ob ſie ſchon an ſich ſelbſten und ſeorſim nicht eben ſo zu attendiren/ſo erſcheinet doch ex tanta, ſeu vera ſeu affectata incuria, indignitas, in dem Ihrer Königlichen Majeſtät in Schweden für und wegen Pohlen ausgefertigte Salv. Conduct. und Plenipotentia ad amuſſim congrue geſchrieben / und nicht ein apex darinnen zu deſideriren iſt/geſtalt ſichs auch in talibus nicht anders gebühret / und ſie am Polniſchen Hofe wohl Leute haben/die recht ſchreiben können. d) Id eſt: *reliqua corrigenda in Litteris commeatus Polonici conſiſtere in Grammaticalibus, quæ etiamſi per ſe & ſeorſim non attendenda videantur, ex tanta tamen, ſeu vera ſeu affectata incuria, indignitatem apparere, cum Regiæ Majeſtatis Suedicæ Polonis data diplomata & mandata ad amuſſim congrue ſcripta ſint, uti in his talibus fieri par eſt, neque vero deeſſe in aula Polonica, qui litteras ſcirent.* Ibidem alia prudenter monent, de quibus deinceps diſpiciemus. Plane litteris Apoſtolicis, *ſi manifeſtum continent in conſtructione peccatum*, fidem non eſſe adhibendam, reſcripſit Lucius III. vel Innocentius III. e) nam variant. Huc pertinet, *ne admittantur raſuræ, cancellationes, lituræ, (caraxaturæ* Marculſo dictæ) *inductiones, ſuperinductiones, abbreviaturæ*, quas vocant, & *ciphræ* (niſi quod ciphris ſcriptum

d) P. II, Diar. Europ. p. 242 ſeq.

e) In cap. XI. X. de reſcript. Hœpping. de Jur. Sigill. c. 13. n. 95. - 103.

diſtinctè litteris quoque conſignetur,) *ſiglæ* atque *notæ*, valde quondam JCtis familiares. f) Horum enim pleraque in loco ſuſpecto, vel qui ad ſubſtantiam, quod ajunt, negotii attinet, fidem elevant. g) *Hinc* in inſtrumentis harum rerum mentionem faciendam eſſe, ſedulo & cum ratione inculcat acuta Pragmaticorum turba, juxta ſcitum Vlpiani: h) *Has lituras, inductiones, ſuperinductiones ipſe feci.* Raſura enim, cujus in ſubſcriptione mentio facta eſt, ſcripturā non vitiat. i) Idem quo minus in conventionibus publicis obſervetur, quid impedit? Alii ſignantius ſingulas litteras ſeu additiones, ne qua fraus obreperet, exprimebant. k) Porro ne quid addi poſſit, linea aliqua ſingulas paginas circumduci jubent pragmatici. *) Scitum eſt, quod de Conſtantino Palæologo tradit Phranzes l) de ejus connubio cum filia Regis Iberiæ agens. *Fit bulla aurea,* (Bulla autem hic nuncupatur ipſum inſtrumentum, plane uti ſigillum reſcriptum ſigillatum †) & σιγίλλιον apud Græcos poſteriores m) *cui manu ſua ſubſcribit* Conſtantinus. *Vocatur in conſpectum Imperatoris, qui mecum,* ait Phranzes, *ex Iberia legatus advenerat: & Imperator manu ſua eo vidente tres cruces cinnabari in fronte bullæ* ad confirmationem *pro conſvetudine exprimit, bullamque auream legato in manus tradit.* Vid. doctiſſimus Mabillon. *de Re diplom. l. 1, c. 10, §. 4.*

§. III. Signa voluntatis ſignificandæ perfectiora dixi eſſe *verba utrinq; intellecta.* n) Ne ergo conventionum publicatū conditiones hoc prætextu, quod min' rectè intellectæ fuerint, aut rapta in aliū ſenſum exoticæ vocis interpretatione, eludantur, non nihil intereſſe videtur, qua LINGVA concipiantur. Et vero quælibet gens vult ſuam alteri prælatam. Quid? quod

f) Vid. Henrici Linckii JCti celeber. Præceptoris mei in alma Aldorfina optimi Diſſert. de Siglis & notis.
g) L. 2 C. de fid. inſtr. vid. tamen c. Ex literis 3. X. de fid inſtr. Add Perez. ad C. d t n. 11.
h) L. 1. §. 1. D. de his quæ in teſtam. delent. Add. Marculf. l. 2. form. VI D. Mabillon. de re dipl. 2. 1. §. 12. & Schat. l. 16. Annal. Paderborn. p. 534 & 535.
i) Jo. Petr. de Ferrariis in Pract. tit. 15. Gloſſ. 3. n. 3. Everh. de fid. inſtr. c. 3. n. 48.
k) Mabillon. d. l.
*) vid. Stryck de Cautel. contr. ſect. 1. c. 6 §. 5. & 6.
l) l 3. c. 4.
†) vid. LL. Longobard. L. 2. tit. 55 §. 2, Bojor, c. 14, add. Leg. Alemannor. tit. 23. §. 4
m) vid. Strauch. de Statut. a ſummo Prin. §. 43.
n) vid. 1. Corinth, XIV, 11, & §. 1, J. de V. O, ibique Pac. à Beriga,

quod non alio quam vernaculo ſermone uti, ad imperii majeſtatem pertinere prudentes uno ore confirmant. Vnde fortaſſis eſt, quod Turcæ non aliter pactis & fœderibus adſtringi ſe putant, quam quæ ipſorum lingua ſunt conſcripta. o) A. 1682. Galli à Cæſarianis monebantur, ut & ipſi deinceps latinâ linguâ uterentur, prout hactenus inter Imperium & Galliam uſu receptum fuerit; ac uti ex inſtrumentis Monaſterii & Neomagi factis adpareat. *Hi* vehementer repugnabant, cauſati, (quod Puſendorfii verbis refero p) *ſe inter tractandum non aliâ linguâ uti teneri, quam ſuâ vernaculâ. Galliæ Regem ſublimiore genere imperii uti, quam Cæſarem; nec ei quid præſcribi poſſe. Quod nonnulla exempla adducantur, ubi Galli cum Cæſare latinâ lingua tractarint, id forte inde eſſe, quod Cæſarei gallice non calluerint, eoque rem liberi arbitrii fuiſſe; per quales actus Imperio nullum jus adquiri. Communis moris eſſe, quamlibet nationem ſua negotia vernaculo idiomate expedire.* Subjicit: *Prudentes judicabant, ſi Galli in tertiam linguam conſentire nolint, Germanis viciſſim jus fore ſua ſcripta Teutonica lingua concipere.* Poſt quædam interjecta, quibus oſtendit, ominoſum eſſe linguæ peregrinæ nimis pertinax ſtudium, eoque viam velut ad ſui ſubjugationem muniri, addit ea quæ ſequuntur: *Galli cum neque uſu linguæ ſuæ deſiſtere vellent, ac Deputati latinam linguam expoſcerent, replicam ſuam latine concipiebant, rubrica tamen Gallice ſuperſcripta: cui tamen nec dies, nec nomina legatorum Gallicorum addita erant; & quam non Cæſareis legatis, ſed Bavarico tradiderant. Unde Cæſarei id Scriptum rejiciebant. Aliud inde Galli ſcriptum formabant, omiſſa inſcriptione; cujus loco ponebant:* Translatum; *& in fine:* pro Translato, *adpoſitis ſuis nominibus. Quod & ipſi Cæſarei redhibebant, eaq; vocabula diſpungi volebant, ac ut verum avtographũ traderetur. Saltem ne ad haſce tricas negotiatio adhæreſcat, addendũ eſſe,* in forma avthentica; *tum deinceps non niſi*

latinâ

o) vid. Marſelaer, de Legato 1. c 30. & Limnæus ad A. B. p. 610.

p) Hiſt Brandenb. L 18. §. 48.

latina lingua uterentur. Id quod Galli aſpernabantur, negantes quoq; ſe apographum ſuæ replicæ amplius pro ſuo agnoſcere. In pacificatione noviſſima Ryſvicenſi *ad Projectum pacis Cæſarem ac Imperium inter & Regem Chriſtianiſſimum ineundæ à Legatione Gallica 20. Julii 1097. exhibitum* gallicè conceptum, reſpondebant Cæſarei, *uſum receptum velle, ut in tractatibus Cæſarem ac Imperinm inter & Galliam inſtituendis latina lingua locum habeat in eaque maxime ſcripta ab utraque parte exhibeantur. Id etiam ut ratione projecti hujus ac in poſterum obſervetur meritò peti.* Utique hujus petitionis compotes facti ſunt Germani. Sane hodiè inter Europæ nationes pleraſque linguæ latinæ, qua à teneris, alicubi ex publica lege r) aſſueſiunt, qui in ſpem patriæ ſuccreſcunt, uſus in conventionibus publicis longa conſuetudine invaluit: ut adeo non vana ſit laus, quâ Plinius mactat Italiam, *Numine Deûm electam, quæ tot Populorum diſcordes feraſque linguas ſermonis commercio contraheret ad colloquia.* Si tamen cuivis ſua lingua, uti Helena, placet, conſilii rationiſque eſt, ut duabus in linguis inſtrumenta conficiantur, ac ambo pro authenticis habeantur. Id quod noviſſime obſervatum eſt in inſtrumento Cæſareo Germanico Ottomannico ſubſcripto Carolovici 26. Januarii 1699. t) *Domini Plenipotentiarii Ottomannici vi conceſſæ iisd. facultatis Imperatoriæ Inſtrumentum Turcico ſermone exaratum & ſubſcriptum, legitimum & validum Germanis exhibuerunt: Germani vi mandati & Plenipotentiæ ſuæ propriis manibus & propriis ſigillis ſubſcriptas & ſignatas pactorum litteras, in latino Idiomate, tanquam legitimum & validum, viciſſim inſtrumentum extradiderunt.* Diplomata avthentica induciarum noviſſimarum Moſcos inter & Turcas lingua hinc Turcica, inde Ruſſica concepta cum apographis (*Copiis*) latinis invicem exhibita ſunt. Luculenta eſt Barth. Grammondi u) de pactis matrimonialibus inter Elizabetham Galliarum

r) vid. A. B. cap. 30.

s) l. 3. H. N. c. 5.

t) art. ult.

u) H. Gall. l. 1 p. 28

&

& Hiſpanum obſervatio: *Lectæ conventiones Caſtellanæ linguæ conſcriptæ, Gallicæ obſignantur, Caſtellanæ poſtmodum: Eo modo lectionis prærogativa Caſtellanæ linguæ, obſignationis permiſſa Gallicæ, penſatusque Regibus, velut ſtaterâ, honor.*

§. IV. In quanam MATERIA inſtrumenta conſcribantur, parum ad cavendum videtur intereſſe, x) & pergamentum tantum abundantis cautelæ gratia etiam in inſtrumentis, quæ in civitate fiunt, perpetuo duraturis adhiberi ſcribit celeberrimus Stryckius. y) Cum tamen hodie moris fere recepti ſit, ut inſtrumenta publica, quæ qualiſcunque momenti ſint, non in charta ſed membrana conſignentur, z) ſuſpicioni fraudis non relinquitur nullus locus, ſi temere recedatur à promiſcue patente uſu rei, *qua*, ut Plinius a) de membrana loquitur, *conſtat immortalitas hominum.* Wiquefortius b) refert, Fœderati Belgii Proceres ratihabitionem Hiſpanicam (eam vero ſimili, qua pacta ipſa ſcripta ſunt, factam eſſe oportere ratione ante ſcripſerat) non niſi fide data de ea corrigenda, admiſiſſe, ob hanc, præter alias, rationem, *quod in charta ſcripta eſſet, cum in membrana ſcribenda fuiſſet. In informatione ſuper præliminaribus tractatus pacis* inter Svecos & Polonos An. 1659. queruntur illi inter alia, præter omnem expectationem eſſe allatum ſalvumconductum Polonicum *chartaceum.* c) Subjiciuntur dein differentiæ ſalvorum conductuum

x) vid. §. 11. J. de teſt. ordin. & L. 7 pr. D. de Juriſd.
y) de cautel. contr. ſect. I. c. 6. §. 2.
z) Mabillon. de re dipl. l. 1. c. 8. §. 16.
a) l. 13. H. N. c. 11.
b) L. II. de l'Ambaſſadeur ch. 15. p. 265.
c) Diar. Europ. P. II. p. 150.

SVEDICI	POLONICI
Loc. Sigilli Regii	L. S.
Pergamenæ *appenſi.*	Chartæ *impreſſi.*

In reformato ſalvo conductu iterum monebatur: Gleichwie das vorige Exemplar auf Papier geſchrieben und mit ſeinem ſchwartzen Faden zuſammen gehäfftet/alſo iſt dieſes ietzige wieder auf Papier und mit einem Brand-gelben oder Neccar-farben

 ſeidenen

ſeidenen Faden eingehäfftet / dagegen Ihro Königl. Maj. ob-berührte ſalvus conductus und Plenipotentia auff Perga-ment geſchrieben. *Sicuti primum exemplum in* charta *fuit conceptum & nigro filo ligatum, ita præſens iterum* chartæ *inſcriptum, & filo ſandarachino ſive rubenti junctum eſt, cum ſuæ Majeſtatis* (Sveciçæ) *ſupradictus ſalvus conductus & Plenipotentia* pergamenæ *inſcripta ſint.* e) In declaratione Plenipotentiariorum Suedicorum ſuper reformato ſalvo conductu Polonico data Sedini d. 25. May An. 1659. eſt: *Sigillum non appenſum pergamento, ut in rebus ac litteris tanti momenti moris eſt.* f) Id vero conducibile eſt, ut charta membranave ſit munda & integra, non maculata, non lacerata, non diverſa, cum ex chartæ diverſitate falſitas argui poſſit. g)

e) p. 227.

f) p. 256.

g) Gloſſa ad c. Inter dilectos: verbo videntur. X. de fid. Inſtr. Add. Gonz. Tellez. ad d. c.

§. V. Veniamus ad INTERNA inſtrumentorum. De FORMVLIS has obſervare regulas ſalus eſt contrahentibus. REGVLA PRIMA: *Solennes Curialesq; formulæ adeo non ſunt habendæ inſuper, ut Stylus Curiæ, quem vocant, pleraque ſui parte in concinnandis obſervandisq; ſolemnium locutionum formulis occupatus ſit.* Voce *ſolemnium curialiumq; formularum* notantur vulgo ea, quæ certâ conſuetudine & veluti recepto in actiones hominum more fiunt: quarum obſervatio quiddam in ſe habet religionis, venerationis, auctoritatis, roboris: ſicut omiſſio neglectusque opinionem infirmitatis & aliquando ſuſpicionem fraudis generat. Sunt autem iſtæ formulæ non uniusmodi, ſed variant, tum ratione temporis: aliter enim antiqua, aliter nova curia loquitur, niſi quod hæc ſæpe ex illius ſolennibus aliquid mutuatur: tum ratione nationum gentiumque: quæ & ipſæ tamen multa à

ſe in-

ſe invicem deſumta, poſtea veluti conſenſu quodam uſurpant. In titulis autem, quibus auguſta Regiæ Principaliſque dignitatis Majeſtas inſignitur, etſi dubitandum non ſit, quin adulatio multa invenerit, amplificaverit, novaverit: non tamen ſtatim detrectare iſta aut abolere prudentes poſſunt; & admiſſo ſemel exemplo, inter pares pro injuria eſt, imparibus titulis ornari. Quo factum eſt, ut, quod adulatio fuerit à principio aut obſequentia, paulatim ratio fieret. Videndus omnino Wiquefortius h) & M. Zuerius Boxhornius i) de formula *fideles dilectique.* Habes item aliquammulta apud Sam. Puſendorfium k) digniſſima legi de litibus & quæſtionibus ſuper titulis cum Gallis, cum *Hiſpanis*, cum Bavaro & Palatino ſuper Vicarii titulo cum Suecis, de Papæ & ejus Nuntii titulo in pacificatione Neomagenſi, de titulo Excellentiæ; *Ha*bes & conventionem Electoris Brandenburgici ſuper titulis & ceremoniis cum Sabaudo, quibus mirum in modū hoc argumentum illuſtrari poteſt. Add. quæ habentur in *Diario Europæo* P. II p. 150. - 154. & p 278 & apud eruditiſſimum Cambdenum l) de *Illuſtriſſimi & Sereniſſimi* titulis. Sicut autem Titulos vindicare, & interdum oſtentare, non modo Principibus, ſed propter Principes, etiam miniſtris ſolemne eſt: ita, mutato rerum habitu, omittere titulos, auctoritatis & prudentiæ habetur. Sic in Gallia, colloquio Regiorum Legatorum, & qui nomine Principum & ordinum miſſi erant, n) *Regii omnes, nullos ſibi titulos ſumſerant, itaque ab adverſæ partis delegatis petierunt, ut ipſi ſua tantum nomina ſine titulis, ne præjudicium alterutris ea re fieret, apponere contenti eſſent: quod & obtinuerunt.* Opportunum Inventum, in domeſticis diſceptationibus, Boecleri judicio, cujus ſcitiſſimi *de elegantia moris Civilis & Aulici, & de Auſpicio Regio* libelli non legendi duntaxat ſunt hoc argumentum verſantibus, ſed lectitandi.

h) l. 1. de l' Ambaſſad. c 12. pag. 189. 200. & 201.

i) Diſquiſit. Polit. caſ. 27.

k) de Reb. geſtis Friderici Wilhelmi Electoris Brandenburgici

l) P. IV Hiſt. Angl. An. 1600.

n) Thuan. l. CVI, A. 1593

§. VI. REGULA ALTERA eſt tralatitia:

Verba ambigua, dubia & ad contentiones excitandas comparata ſolicite vitanda ſunt. Curandum quippe eſt, ut non nomen conventionum, ſed vis obtineatur. Vis obtinebitur, amotis, rejectis, aut correctis formulis, vel etiam dilucidius explicatis, de quibus poſt ſancita ea controverti poſſit ac dubitari. Prudenter *promittunt* apud *H.* Grotium o) *inter ſe nationes* Fœderatæ Belgicæ, *non pacturas cum hoſte, ni libertas verbis, quæ Legatis placuerant, conceſſa re quoq; præſtaretur.* In laudato Polonico Salvo conductu phraſis *à Pruſſia* pro *e Pruſſia* animadvertebatur à Suecis, cumque in altera exhibitione non mutaretur, notabant: Es ſeye hierunter eine æquivocatio verborgen/ dergleichen man wiſſentlich/ wenn man candide handeln will / nicht zu committiren pfleget. (Diar. Europ. P. III. p. 227.) *Hic aliquam latere nominis ambiguitatem, minime admittendam, ſi candide agendum ſit.* In diplomate Brandenburgico *numerum ſingularem* pro *plurativo* uſurpatum admitti non poſſe contendebant. p)

o) Hiſtor. lib. XVIII.

p) p. 278. Add. Boxhorn. diſqu. Pol. caſ. 58.

§. VII. REGULA TERTIA. *Qualiscunque momenti conditiones & ſpeciales pactorum publicorum leges non ſunt generali complexione, ſed diſerte quæque & conceptis verbis exprimendæ.* Generalibus quippe terminis nunquam tuta fides. Nam in quovis publico aut privato jure q) ſpecialia generalioribus validiora æſtimantur. Generalia quippe varia interpretatione flecti poſſunt, amplificari aut conſtringi, pro cujusq; arbitrio & utilitate, in fraudem eorum, quæ pacta ſemel ſunt & conventa. Speciatim vero expreſſa manent manſuraque ſunt; & qualia propoſita & confirmata ſunt, præciſa

q) L. quidquid 99. D. de V. O. L. Veteribus 39. de pact.

ciſa omni interpretationis varietate ac ambiguitate, debent neceſſario ac continuo præſtari. Neque eſt, ut quis faſtidiat hodiernum Curiæ ſtylum, eadem, quæ veteres breviter extulere, particulatim exponentem & ſolicite interpretantem. Nam & multitudo emergentium quotidie caſuum, & circumſtantium rerum varietas, & quæ providere hæc omnia, & ſingula explanare debet, civilis prudentiæ accurata ſubtilitas, facile ſuaſere Politicis inter ipſa diſcrimina verſantibus, hanc prolixitudinem, quam ob id ſcite Vir civilis ſapientiæ conſultiſſimus Jo. *H*enricus Bœclerus r) *paraphraſin Politicæ doctrinæ* apellare ſolebat. In fœdere defenſivo An. 1570. Eliſabetha Britannica poſtulabat, ut expreſſum in fœdere eſſet, Regem Franciæ ei ſubventurum, *etiamſi Religionis nomine invaderetur*; *quand meſme elle ſeroit attaquée pour cauſe ou ſous pretexte de Religion*, inquit Wiquefortius. s) De India, quam diſerte nominari debere ordines Belgicæ contendebant in induciis A. 1609. longiſſime & acriter diſputatum eſt apud *H*. Grotium. s) Vnica difficultas, quæ ſufflaminabat concluſionem Tractatus inter Regem & Belgas An. 1662. nata eſt ex pertinaci horum poſtulatione, *que le Roy garantiſt nommement la peſche, ut Rex nominatim de piſcatu caveret.* t) Videndus hoc loco idem Wiquefortius, u) qui regulas ſpeciales de pacificationibus fœderibusque ſuppeditat, quas nos in præſentia non excutimus. Si tamen alias verum eſt, genus complecti ſpeciem omnem, ad quam eo magis fieri debet extenſio in liquidis, ne ulla exceptione differantur, quod menti ſe ita obligantium eſt contrarium, x) apparet, eſſe, ubi generales fomulæ ſint tutiſſimæ. Id oſtendit Vir, in quo ornando natura, prudentia & fortuna experiri voluerunt, quid efficere poſſent. Quem dum dico, Eminentiſſimum Cardinalem Mazarinum y) dico, qui Fano S. Joannis Luzii 24. Octobris An. 1659. ita ad Tellierum ſcribit: *Il m' a reuſſi de faire paſſer, ſans que Dom Louis ni Dom Pedro Coloma y*

r) Diſſet. de Amnelt. c. 3.

s) l. 2. l' Ambaſſ. c. 12. p. 195.

s) L. 18. Hiſt. add. Wiquefort p. 195.

t) Wiquef. d. l.

u) p. 195 198.

x) Mev. P. V. Deciſ. 312. n. 5.

y) T. II. Lett. 94.

ayent fait reflexion, un point qui eſt aſſez important ; c'eſt à dire, qu'au lieu de mettre le Traité de Queraſco, *j'ai mis* les Traitez *au plurier ; parce qu'outre le Traité public, qui fut fait pour regler les intereſts desdites maiſons, l'on en fit un en particulier avec Monſieur le Duc de Savoye, par lequel il donnoit Pignerol au Roy, & en retenoit la recompenſe ſur un certain nombre de terres de Montferrat, pour lesquelles ſa* Majeſté *promit de payer à Monſieur le Duc de Mantoue la ſomme de quatre cens quatre-vingt quatorze mille écus d'or, ce qui avoit connexité & relation avec le Traité public ; de maniere que le Roy d'Espagne approuvant les dits traitez, & ſ'obligeant à ne ſ'oppoſer en aucune façon, à l'execution d'iceux directement ni indirectement, il le fait auſſi bien pour l'acquiſition de Pignerol, qui nous demeure.* Id eſt: *Bene ſucceſsit mihi magni momenti res Ludovico* (Haroio) *& Petro Coloma minime advertentibus. Nimirum pro verbis* Pactio Cheraſcenſis, *feci, ut eſſet in inſtrumento,* pactiones, *in plurativo numero. Præter enim conventionem ad ordinandum ſtatum Sabaudicæ & Mantuanæ Domuum publice interpoſitam privatim cum Sabaudiæ Duce transactum, ut, Pinarolio Regi tradito, haberet compenſationis loco prædia nonnulla in agro Montisferrati, quo nomine Rex Mantuano quadringenties octogies quater mille aureorum ſummam repræſentaret; id quod convenit cum pactione publica. Itaque dum Hiſpaniæ Rex iſtas pactiones ratas habet, neque ulla ratione modoque violari cupit, probat & rata habet, quæ de Pinarolio dicuntur, quod noſtræ ditionis manet.* Idem evidentiſſime demonſtravit amneſtiæ exemplo M. Zuerius Boxhornius, Diſquiſit. Polit. caſ. 50.

§. VIII. REGVLA QVARTA: *Nihil partium judicio aut arbitrio in exequendis conventionibus, omnia indubitatis aut immotis formulis earumq; inevitabili præſcripto ſunt relinquenda.*

Si

Si enim arbitrio partium quid relinquatur, non illæ neceſſitati pactorum obſervandorum; ſed hæc illis ſubeſt, & , prout lubido erit aut occaſio oblata, pactorum fides dirimetur. z)

z) Vid. Autor libri Grundveſte des H. Röm Reichs 3. Stud. 8. c. n. 2.

§. IX. REGVLA QVINTA: *Si quæ ſunt magni momenti capita, ea non arcanis pactionibus* & articulis ſeparatis, uti hodie loquuntur, *ſanciri, ſed publico fœdere evulgari oportet.* Namque, ceu recte monent ordines Belgicæ apud H. Grotium a) *haud ſatis tuta, quæ conventa privatim non omnium ad notitiam pervenirent.* Hinc cum in tractatione fœderis An. 1572. inter Gallos & Anglos, cujus jam mentio facta eſt, illi promitterent, Regem regii ſigilli litteris, (*par une lettre de cachet*) chirographo (*par un brevet*) vel articulo ſeparato cauturum; hi contendebant, ſe neque chirographo, neque regii ſigilli litteris, neque articulo ſeparato ſecuros reddi, niſi articulus ſeparatus, æque ac tractatus ipſe, Regis manu & majori ſigillo ſubſignaretur. Wiquefort. l. c p. 195 &, 96. Inde plerumque conventiones publicæ e periculo recitatæ *publicantur* ac *in Acta* Curiarum Parlamentorum, Conſiſtoriorum referuntur.

a) l. 18. Hiſt.

§. X. REGVLA SEXTA, quæ cautioris Jurisprudentiæ decreta, ſententias, inventa, figuras temperare debet atque moderari, eſt: *ut rebus contenti eximiis verba non anxie nimis expendant.* Vid. H. Grotius XVIII. Hiſtoriarum.

§. XI. Solenne eſt, ea quæ placuerunt & jam litteris conſignata ſunt ſubſcribi, & ſcripturæ fundamentum eſt SVBSCRIPTIO. b) Nuda enim aſſertio explicans de futuro animum, qui nunc eſt, non obligat, neque alteri jus dat, c) niſi accedat acceptatio ejus, cui promittitur, d) & quidem per ſigna

b) l. 4. §. 15. & l. 9. inſ. D. quib. mod. pign vel hypoth. ſolv.

c) vid. l. 108 §. 1. D. de V. O. d) l. 19. §. 1. D. de Donat.

ſigna ſufficienter expreſſa. e) Sane quæ in ipſa tractatione fiunt utrinque oblationes tractatus ſunt præambuli, f) propoſitiones voluntatem antecedentes, &, ut ita loquar, *actus oblativi*, bloſſe Vorſchläge * quibus nullam nobis imponimus neceſſitatem, in iſta animi deſtinatione perſeverandi. Antequam ergo ſubſcriptione, quæ mutuæ acceptationis inſtar eſt, firmatæ ſint tabulæ, non vulgaris eſt exceptio, es wären nur bloſſe Tractaten geweſen / ſo zu Papier gebracht / es wäre aber der Contract nicht zum Schluß kommen; id eſt, *fuiſſe nudos tractatus, in ſcripturam redactos, ſed confirmationem contractus nondum ſubſecutam.* g) Inde ſolemnes formulæ: *manus noſtræ ſubſcriptione*, item *ſubſcriptionibus infra roborare*, ſeu *confirmare decrevimus*, *ſtuduimus* apud Marculſum, h) hanc conventionem *ſubtus propriâ manu decrevimus roborare*, formula 24. Vid. Mabillon. l. 2. de re dipl. c. 10. Hic autem ritus, ut cetera alia, pro temporum varietate fuit varius. Vide, ſi vacat, diſſertationem, quam ſub præſidio celeberrimi Hertii habuimus, de *Diplomatis Germaniæ Regum & Imperatorum*, i) in qua, quæ quovis ſeculo ſubſcribendi fuerit ratio & habitudo, expoſitum eſt, ac cum cura. In Pace Weſtphalica eſt: *in quorum omnium & ſingulorum fidem majusque robur, tam Cæſarei quam Regii Legati, nomine vero omnium Electorum, Principum ac Statuum Imperii ad hunc actum ſpecialiter deputati, nimirum N. N. præſens pacis Inſtrumentum, manibus ſigillisque propriis munierunt & firmarunt.* k) Porro ſi tranſactiones inter privatos initæ, illis in caſibus, quibus ſcriptura ad perfectionem requiritur, pro completis non habentur, niſi habeant ſubſcriptionem & ſubſignationem tranſigentium, l) quidni & Conventiones publicæ, quæ de rebus maximi momenti & fere non niſi in ſcriptis fiunt? Atque id quandoque exprimi ſolet, ut in induciis cum Nabide: m) *Ex quâ die deſcriptæ conditiones editæ Nabidi forent.* In fœdere Danos inter

e) Vid. H. Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 11 §. 2 & 14. Puffend. de J. N. & G. l. 3. c. 6. §. 15. Struv. S. J. C. ad tit. D de pact. §. 33. & Lauterb. ad eund. tit. §. 35

f) Cothman. Vol 1. Conſ. 4. n. 14.

*) Franzk, in comment. ad ad tit. de pact. n. 24.

g) Stryck. de cautel. contract. ſect. 1. c. 6. §. 1.

h) l. 1. form. 2. & 3.

i) Sect. 1. §. 13

k) Add. L. 17. C. de fid. inſtr ibi: ſubſcriptionibus confirmata.

l) Weſenb. Conſil. 106. qu. 1. Cothman. vol. 4. Reſp. 37.

m) Livius l. 34.

ter & Belgas A. 1648. renovato. n) Dieſe Defenſions-Verbündnus ſoll den Anfang nehmen auf den Tag der Unterſchreibung dieſes. Id eſt: *hoc fœdus defenſivum, ex qua die ſubſcriptum fuerit, valebit*, o) & in fœdere, quod cum Gallis Angli percuſſerunt A. 1657. p) Endlich iſt verabredet und beſchloſſen/ daß alle vorgehende Articul ſorgfältig ſecretirt - - - Jedoch mit dieſem Verſtand/ daß ſelbige eher und bevor ſie utrinque ratificirt, beſchworen und unterſchrieben / Krafftloß und ungültig ſeyn ſollen. Id eſt: *Conventum eſt, ut omnes fœderis leges ſollicite celarentur, ut tamen omni deſtitutæ haberentur, antequam ratihabitæ, juratæ &* ſubſcriptæ *eſſent.* Quamquam alibi alia omnia ſancita legantur.

n) art. 15.

o) D. Europ. Vol. 6.

p) art. 16.

§. XII. Ne tamen ſubſcriptio dicis cauſa intercedat, cautiones quædam in ipſo actu rerum, ab illuſtribus annalium ſcriptoribus obſervatæ, proditæ ſunt. Etſi vero, quod quis per alium facit, per ſe feciſſe cenſendus ſit, ex vulgato JCtorum ſcito; ne tamen multa falſarii audacter multa inſidioſe faciant, & ne quis pacta conventa hac exceptione eludat, quaſi ſubſcriptione propria non habita rata fuerint, inſtitutum eſt, ut conventionum publicarum tabulis *proprio chirographo*, ut Paulus noſter q) loquitur, ſeu, ut hodie loqui amant, *manu propria* ſubſcribatur. Id quod formulæ ſubſcribendi, quas citavimus, ſatis oſtendunt. Scriptuptura enim per manum propriam valida redditur atque probandi vim accipit. r) Eo ipſo enim dum manu ſua ſubſcribunt paciſcentes, omnia quæ in tabulis continentur, plene approbant, & ad obſervantiam eorundem ſe adſtringunt. Mev. P. VI. Deciſ 45. Elegans eſt obſervatio Wiquefortii s) & quam malumus, fidei faciendæ gratia, ipſius ampliſſimi Viri verbis, quam noſtris, heic legi. *Le Gran-Duc de Toſcane, qui n'avoit pas envie d' entrer en negotiation avec Doſſat Evêque de Rennes, s'en voyant enfin tellement preſſe, qu'il ne s' en pût plus defaire,*

q) L. 30. D. qui teſtam. fac.

r) L. 3. C. de diverſ. reſcript.

s) L. II. de l'Ambaſſadeur c. 12 p. 194. & 196.

defaire, fit arrêter quelques articles, dont on demeura d'accord de part & d'autre: Mais aprés qu' on les eut reduits en forme de traitté, le Gran-Duc ne les volut point ſigner, & dit, que puisque l' Evêque n' avoit qu' une procuration du Roy, on en donneroit auſſi une à Vinta, Secretaire d' Etat de Florence, qui ſigneroit pour le Gran-Duc. Doſſat ne le voulut point ſoufrir, ni même accepter l' ofre, qu' on lui fit, de faire ſigner le traitté par la Granducheſſe, & on s' opiniatra ſi bien de part & d' autre, que le Gran-Duc ne ſe rendit, qu' apres que Doſſat eut declaré, que dés que ſon Alteſſe lui auroit dit poſitivement, qu' il ne ſigneroit point, il monteroit à cheval & s'en iroit. Doſſat avoit raiſon, parceque le Granduc étant preſent, le refus qu'il faiſoit de ſigner rendoit ſes intentions ſuſpectes. Id eſt: *Cum Magnus Hetruriæ Dux videret, ſe ſubterfugere minime poſſe conventionem cum Doſſato Rhedonum Epiſcopo, quod maxime cupiebat, conditiones quasdam ſcripſit, in quas utrinque conſenſum eſt; ſcriptis negat ſe ſubſcripturum, cauſatus, cum Epiſcopus mandato eſſet inſtructus, ſe ſimile daturum Vintæ Secretario* Status *Thuſci, qui ſuo nomine ſubſcriberet: Doſſato, neque hoc admittente, neque etiam, quod ei dabatur, ut uxor Magni Ducis ſubſcriptione defungeretur; tantâque pervicaciâ utrinq; obfirmatis animis, ut Thuſcus non concederet, niſi cum Doſſatus ſignificaſſet, ſe, cognito Suam Celſitudinem non ſubſcripturam, è veſtigio abiturum. Æquum poſtulaverat Doſſatus, quando Magni Ducis præſentis recuſatio ſuſpicione non carebat.* Sic Jonæ Caſimiro Eulenburgico Baroni, Electoris Brandenburgici ad Moſchum legato injunctum fuit, (iterum alienis, id eſt Puſendorfii t) verbis hæc juvat efferre) *ut, quanquam hactenus traditum ſit à Czare litteras* propria manu *ſubſcribi; legatus tamen velut privatim exploraret, num id Cæſari aut ulli alii fieret, & quæ verba affectum teſtantia adhibeantur: ac re exploratâ parem honorem expoſceret; ac ſi recuſetur, proteſtationem inter-*

t) Rer. Brandenburg. l. 6. §. 31.

interponeret; Electorem quoque deinceps propriâ manu haut ſub-ſcripturum. Ac ſane, quod idem *Hiſtoricus* u) memoriæ pro- u) d. l. 5. 314
didit, ſuper cofirmatione pacti moleſta diſputatio erat: & Moſchus ex affectata quadam pærogativa dignitatis recuſabat *propiæ manus ſubſcriptionem, niſi Elector fœdere adverſus quoſcunque Czari illigari, aut ejusdem clientelam ſubire velit. Demum proponebant, ſi legatus ſcripto cavere velit, Electorem neq; in Cæſaris, neque Poloni, neque Sueci clientela eſſe, Czarem pactum* propria manu *ſubſcribere velle; quam cautionem legatus dare abnuebat, velut ſuperfluam. Tandem cum* (Elector Brandenburgicus) *multo labore Moſcis inculcaſſet, nexum fiduciarium, quo Imperio obſtringitur, ſummo ipſius faſtigio nihil derogare, omiſſâ eâ cautione, jusjurandum exigebant. Et quanquam legatus iſthoc, ut & oſculum Crucis ad aliam legationem differre cupiebat; Moſci tamen eam dilationem aſpernabantur, quod in procuratorio ipſius nihil reſtrictionis appareat. Ita demum jurandum fuit, ſed citra verba concepta, prout legato eo tempore in mentem veniebat; Quo facto Czar* propriâ manu *ſubſcribebat: id quod Moſci magni imputabant, velut nemini alias factum; cum Czar ne privatis quidem litteris nomen ſuum adponere ſoleat, niſi aliquando dum ad Uxorem aut Patriarcham ſcribit.* Si qui fuerunt olim Principes ſcribendi peritia deſtituti, eòque cum ſubſcribendum inſtrumentis eſſet, aliena opera uti coacti, *manu ſua ſignum Crucis, aut quid ſimile* effinxerunt. In hoc numero fuit inprimis Juſtinus Senior, qui auctore Procopio x) *cum eſſet analphabetus, nec poſſet more* x) in Anecd.
aliorum Imperatorum nominis ſui apices indere libellis; tabella p. 28, & 29.
lignea perpolita utebatur, formam quatuor litterarum, quæ latine legi poſſent, inciſam continente; eâque libello impoſitâ, calamus colore imbutus, quo ſcribere mos eſt Imperatoribus, huic Principi tradebatur in manum; quam alii prehenſantes ducebant, circumagebantque per illas quatuor litterarum formas. Eodem

dem modo agebat Theodericus Oſtrogothorum Rex. Withredus Cantiæ Rex Seculo VII. imperitiam ſuam faſſus eſt, ſubſcribendo in hunc modum: *Ego Withredus Rex Cantiæ omnia ſupraſcripta confirmavi, atque à me dictata, propriâ manu ſignum ſanctæ Crucis pro ignorantia litterarum expreſſi.* y) quod iterum alibi repetit. Vide Mabillon. L. II. de Re diplom. c.22. §.2. & 3. ubi etiam exempla alia affert, & Eccleſiaſticorum virorum, qui elementa litterarum ignorarunt. Mira nobis narrat de moribus inſtitutisque Turcarum circa hæc talia Johannes Sagredus in *de Monarchis Ottomannis* libro. Ejus ex Italico ſermone in Gallicum translata verba hæc nobis repræſentantur in *Diario Eruditorum* * ad An. 1676. *La maniere de ſigner un accord, en noirciſſant la paume de la main avec de l'ancre & l' applicant ainſi ſur un papier, ce que les Turcs regardent & reverent comme une choſe ſainte, n' eſt venue, que de l'ignorance de ces peuples, qui dans les commencements ne ſçachant ny lire ny ecrire, s' aviſerent de donner cette marque exterieure pour la derniere ſeureté de leur parole.* Id eſt: *Subſignatio conventionum, quæ fit, manum atramento denigratam chartæ imprimendo, ſancta Turcis res, inſcitiâ populi nata eſt, qui à principio ultra primas litteras non progreſſus hoc ſupremum pactorum conventorumque firmamentum eſſe voluit.* Tantum fidei *chirographo*, licet rudi ei, apud Barbaros tribuitur.

y) Spelman. tom. 1 Conc. p. 198.

* *Journal des Sçavans.*

§. XIII. Fuit, ubi poſtularetur, ut *nomen* etiam *proprium* ſubſcriberetur, non aliud, quod alias idem ſignificat. Status confœderati Belgii Ratihabitionem (illam autem eâdem ratione conſcriptam eſſe oportere, quâ ipſæ conventiones ſcriptæ ſunt, jam docuimus) induciarum initarum cum Hiſpanis, apolactizabant & floccifaciebant, tum ob alias rationes, tum quod Rex *nomen ſuum* ſubſcribere non eſſet dignatus, ut aſſolet, cum ad Principes juri ſuo non ſubjectos ſcribit, ſed ſuperbum illum Titulum ſubſtituiſſet, *Yo el Rey*,

Ego

Ego Rex; quaſi retinens antiqui juris & exprobrans liberis civibus crimen perduellionis. Vid. Baud. de induciis Belg. l. 1.

§. XIV. In *ordine*, ſi quâ unquam in re, cautim procedendum. Fidem Numinum! quæ circa prærogativum jus honoris (quod Græce felicius προεδρίαν, *præſidentiam præcedentiamve* barbare appellitant) lites, quam pervicaci, non vehementia dico, ſed ira, omni ſunt tempore agitatæ? Equidem naturalis ordo inter pares hîc eſt, prout quisque in ſocietatem venit. z) Plane ut inter fratres is ſervatur ordo, ut qui primus in lucem editus eſt, reliquos antecedat, atque ita deinceps, nullo reſpectu ad alias omnes qualitates habito. Theodoſius & Valens AA. in conſtitutione de ordine inter Conſules ſervando: *Quis enim in uno eodemque genere dignitatis prior eſſe debuerat, niſi qui prior meruit dignitatem?* a) Atque hunc morem antiquitus in Chriſtianorum quoque regum ac populorum ſocietate obtinuiſſe H. Grotius b) multis auctoritatibus probat, ut, qui primi Chriſtianiſmum profeſſi ſunt, in Conciliis ad rem Chriſtianam pertinentibus præcedant cæteros. Præcipue videndus eſt Æneas Sylvius in Hiſtoria Concilii Baſileenſis. At vero id congruit ſententiæ Jovis apud Lucianum inter *Herculem* & Æſculapium litigantes de priore in Deorum convivio accubitu. Ἔννομος, ait Jupiter, ὦ Ἡράκλεις, προκατακλίνεσθαι τὸν Ἀσκληπιὸν, ἅτε πρότερον ἀποθανόντα; *Æquum eſt, o Hercules, ut Æſculapius priore loco accumbat, quippe qui prior mortuus eſt*, vel prior cœlum ingreſſus. Diu multumque diſceptatum eſt inter Gallos Anglosque, quo ordine pactis nuptialibus, quæ An. 1581. concipiebantur, inter Eliſabetham Britannicam & Andegavenſem ineandis ſubſcriberent. Habes merita hujus cauſæ, utriusque partis argumenta, pacta conventa, & multa alia circa hæc talia apud Wiquefortium, c) in quibus omnibus multa ſunt & jucunda lectu, & notatu digniſſima. Aliis latum Imperium,

z) t. t. D. de Alvo ſcribendo.

a) L. 1. C. de Conſ. c. 1. X. de major. & obed. Add. L. ſemper. 4. de Jur. immun. L. omnem. C ut dignit. ordo ſervetur. L ult. C. de Tyr

b) in not ad c. v. de J B. & p §. 21.

c) L. II. de l'Ambaſſ. p. 189. 190, 191.

 aliis

aliis eminentior regiminis ratio, aliis longus uſus ſpiritus addunt. (nam ordo & dignatio loci inter populos ex tribus his potiſſimum rebus diſtinguitur. d) Alii virtutibus majorum & ſanguine nituntur. Cum vero nemo Principum ſit, qui non una alterave harum rationum ſe tueri queat; quilibet tantum ſibi honoris decedere autumat, quantum ipſe alteri tribuerit. Antigono cedere noluit Eumenes; *neminem*, inquiens, *me præſtantiorem judico, quoad fuero gladii dominus.* Hodie rara Principum de prærogativa honoris gratia. Notæ ſunt contentiones inter Gallos & Hiſpanos, *H*iſpanos & Anglos, hos & Gallos, Suecos & Moſcos, Venetos & Electores, atque plures inter Imperii Principes, magno rei Germanæ intertrimento. An. 1642. Legati Moſcovitici, renovandis fœderibus *Ha*fniam miſſi contendebant, Czaris nomen primum locum in duobus inſtrumentis occupare debere, exemplo nixi, quod factum idem tempore Friderici Patris eſſet. Dani replicabant; *ita conſvetudine univerſali obtinere, ut quilibet Princeps αὐτοκράτωρ* (Souverain) *nomen ſuum in inſtrumento præponat nomini ejus, cui inſtrumentum exhibet*; Siquc hoc, regnante Patre neglectum fuerit, Secretarii ignorantiæ id dandum. Atque omnino ita ſeſe res habet hodie inter Principes, qui in pari dignitatis gradu ſunt poſiti, ita ut, teſte Wiquefortio, e) vix exceptioni inter *Capita*, quæ vocant, *Coronata* loc⁹ relinquatur. In conventu Monaſterienſi Cæſaris legati conſenſerunt, (Wiquefortii verbis utar l. 2. p. 189.) *quedans les projets, que les Plenipotentiaires de France feroient communiquer à ceux de l'Empereur, ils ſigneroient au lieu le plus honorable.* Id eſt, *ut Plenipotentiarii Gallici loco honoratiore ſubſcriberent inſtrumentis, quæ Cæſareis exhiberent.* Aliter dicendum eſt, ſi cum Rebuspubl. Policraticis agant Reges, queis, quaſi multo infra ſe poſitis, nunquam loco cedunt. Provincias tamen fœderati Belgii hac in parte Regnis Septentrionalibus uſu; Electoribus

d) Vid C.V. Vlr. Huber. in prælect. ad t. D. de capt. & poſtl. rev. §. 12.

e) l. 2. de l'Ambaſſadeur p. 193.

ribus Imperii Germanici ex pacto exæquari idem memorat Wiquefortius f) Memorabilis de ſubſcriptione lis g) orta eſt *Hagæ* Comitis An. 1644. inter Avoſſium, Servientium & Thuillierium Legatos Gallicos & Delegatos Belgas. *Hi* ipſis locum honorariorem non denegatum quidem ibant, ſed ut in *eadem*, quod dicitur, *columna*, non *eâdem lineâ*, nomina ſua ſcriberent, petebant, & ad conventiones Compendii A. 1624. & 1635. factas provocabant. Galli novitate rei in admirationem rapti, minime hoc Belgis concedendum rati, omnes in eadem linea nomina ſua ſcribenda putarunt, litteris tamen adeo minutis, ut primus Delegatorum Belgarum eidem nomen ſuum mandare potuerit. Parum abeſt, quin exiſtimemus, quadrare in hæc talia iſtud Senecæ: *Acuta hæc ſunt, ſed & ariſtâ nihil eſt acutius. Quædam inutilia etiam nimia ſubtilitas facit.* Quacunque enim ratione nomina ſcribantur, cum etiam plures legati unum Principem repræſentent, ii, quibus citra controverſiam primus debetur locus, primum locum cenſentur occupaſſe, ſive in columna eadem, ſive in eâdem lineâ ſubſcripſerint, per uſu tritam regulam: *Ultimus primi Ordinis vincit primum ſecundi ordinis, atque ita deinceps.* Scitum eſt de hâc contentione Wiquefortii h) judicium: *Il y avoit un peu de caprice de part & d' autre, & il ſemble que les Ambaſſadeurs de France n'en firent un point d' honneur, que parceque les Commiſſaires des Etats en voulurent faire une affaire.* Id eſt, *pervicaciter utrique ſuſceptum geſſere & infra dignitatem ſuam ponebant Galli, quod Delegati Belgæ in controverſiam adduxiſſent.* Juris conſervandi gratia nonnunquam *proteſtatio* interponitur, idque in Receſſibus Imperii, qui reſpectu conſtituentium utique pacta ſunt, ſolenne eſt. *Hodie* (uti ex parte dictum eſt,) conceptis pactorum legibus, tot exempla ſcribuntur, quot partes ſunt paciſcentes. Quælibet pars ſuum ſubſcribens exemplum, ſe cæteris præponit; id quod

f) l. 2. p. 193.
g) l. cit.
h) p. 194.

quod tamen de Regibus tantum, aut, qui iis æquiparantur, Monarchis intelligendum eſſe diximus. Mediatores, ſi qui adſunt, ſingulis exemplis nomen dant, interdum poſtremo, perſæpe tamen principe loco. Hoc facto, exempla utrinque ratihabita permutantur & extraduntur.

§. XV. Hoc loco tacitus præterire non poſſum inſigne factum quorundam, qui, ut horrore ipſo ſanctior & ſolennior eſſet rerum transactarum fides, atramentum *vino Euchariſtico* dilutum in ſubſcriptionem adhibuerunt, quod intelligendum putat maxime de ſigno Crucis Joh. Mabillonius. i) Id præſtitum in concordia inita inter Carolum Calvum & Bernhardum Comitem, ut tradit Odo Aribertus in fragmento quod V. C. Stephanus Baluzius vulgavit k) in notis ad Agobardum. *Pace itaque cum Sanguine Euchariſtico ſeparatim per Regem & Comitem firmatâ & obſignatâ, Bernhardus Comes Toloſanus ex Barcinonenſi Toloſam venit &c.* Nempe hoc ritu ſignificari volebant, eos ſanguine Chriſti reos futuros, qui pactum adeo ſolemni & horrendo more peractum violaſſent. Hac ratione Theodorum Papam Pyrrhi Patriarchæ Conſtantinopolitani Monothelethæ depoſitioni, & Epiſcopos Photii damnationi ſubſcripſiſſe narrat idem Venerabilis Mabillonius.

i) l. 2. de re dipl. c. 22. §. 21.

k) Baluz in Agob. p. 129.

§. XVI. Conventionibus publicis firmandis alii quoque veluti *Sponſores* ad id à paciſcentibus rogati, tabulis ſubſcribere ſolent. Atque huc ſine dubio reſpexit Fridericus Furius Cæriolanus in formula emiſſa, ex qua ratio pacis inter Philippum & Hollandiæ ac Zeelandiæ Ordines, iisque confœderatos iniri poſſe videbatur. Cum admonuit, l) ut, *ſi Regem arctius pactis adſtringi neceſſe ſit, iis Hiſpani Proceres tam ſacri quam profani Ordinis una cum Rege ex vetere gentis cum Africanis inſtituto ſubſcribant. Idem & volente Rege, Germaniæ Principes faciant, aliquot denique oppida ex primoribus Belgii,*

l) Thuan. l. 59. Hiſt. p. m. 108.

Belgii, ſub certis legibus ac Conſtitutionibus una quoque cum Rege ſubſcribant. Huic alienum non eſt, quod in tabulis pacis Sueco Danicæ Rotſchildiæ a. d. 26. Febr. A. 1658. initæ profitentur paciſcentes, *ſe à Regiæ Majeſtatis Franciæ & Protectoris Angliæ reſpective Ordinariis Ambaſſadoribus & extraordinariis Legatis, tanquam Mediatoribus in illis tractatibus pacis, rogaſſe, ut pro majori firmitate ac meliore certitudine & teſtificatione, ea omnia una cum ipſis partibus principalibus ſubſcribere & ſubſignare non graventur.* Oſtenditque ſe *ſubſcriptionis* hujus robur mox in tractatu Hagenſi a. d. 22. May An. 1659. concluſo, in *Gallia Angliaque eo potiſſimum, quod Paci Rotſchildenſi ſanciendæ graviter inſudaverant, ſe permotos eſſe teſtantur, ut partium ſuarum eſſe cenſerent, omnem diligentiam omnemque operam bello recrudeſcenti amoliendo adhibere.* Additur paulo poſt *Sponſio Garantiæ futuræ, ſi pacem reſtaurari contingeret* Sed illi quidem qui ſubſcribunt aliena pacta, tacite ac veluti ex præſumta voluntate obligantur, ut, quo utrinque pactorum fides ſalva ſit, ſedulo operam navent.

§. XVII. *Tabelliones* quoque, pactorum publicorum tabulis ſubſcripſiſſe leguntur. Etſi alias recte, Suidæ vocetur ταβελλίων, ὁ τὰ τῆς πόλεως γράφων συμβόλαια, i. e. *qui contractus ſcribit, qui per urbem fiunt*, ac Procopio *in arcana hiſtoria* ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς καθήμενος ὃς ἐχειλίζε, τὰ τῶν πολιτῶν γραμματεῖα ἑκάστοις ἐσημένοις ἐπισφραγίζων αὐτοῖς γράμμασιν. *Homo in foro ſedens, qui civium cuique inſtrumenta conficiebat & ea ſua muniebat manu:* plane uti hodienum Eboræ (Portugalliæ Transtaganæ civitas eſt) & in aliis per Hiſpaniam urbibus in foro menſis aſſident Tabelliones, qui omnibus eorum opera indigentibus, ſoluto pretio, operam locant in ſcribendis amatoriis, aut aliis epiſtolis, vel in epicediis, Epithalamiis, Syngraphis, libellisque ſupplicibus adornandis. m) Quid ergo? An tabellionum tanta auctoritas? *Notarii* olim an non viles? an

m) Vid. celeb Wagenſeilius Peræ loculam. II. de Portugallia.

non

non ſervi publici? *L. 2. D. rem. pup. ſalv. §. 3. J. de adopt. ab.* Theoph. an non juſſi ſunt demum liberi eſſe Impp. Arcad. & *Honor.* AA. conſtitutione? *L. 3 C. de Tabular. lib X. Cancellarii* etiam dicti à cancellis, ſed an id circo aut digniores, aut majoris momenti? Scribæ Principis, Prætorum, judicum, & hunc modum non egreſſi L. *Nullus.* C. *de Adſeſſ.* à ſecreto L. 4. C. *de teſt. Secretarii* revera non alii, quam quos hodie *Clercs*, belgice *Clercken* vocant. Sed gliſcere cœpit paulatim dignitas, poſtquam Principes illorum opera uti cœperunt in rebus quæ majoris momenti. Inde Cancellariorum ingens auctoritas & quæ aucta etiam media ætate hodienum perdurat. Vide Ant. Matthæi doctiſſimi Viri notas & obſervationes ad Annales Egmundanos p. 176. & ſeqq. Notariorum ne nunc quidem lauta fortuna, quædam tamen in publicum auctoritas, ut non raro rebus momentoſiſſimis ipſorum adhibeatur ſedulitas fidesque; Ut accommodari huc poſſit, quod eſt in diplomate *Rogeri de Monteflorum* Comitis Palatini A. 1306. apud J. Seldenum. n) *Sagax humana naturæ diſcretio, memoriæ hominum labilitate penſata, ne diuturnitate temporum ea, quæ inter contrahentes aguntur, oblivionis defectui ſubjacerent,* Tabellionatus *adinvenit officium, per quod contrahentium vota ſcribuntur, & Scripturæ miniſterio poſtmodum longum ſervantur in ævum.* Et Conſona habet Maximilianus I. in Conſtit. Trev. & Colon. de A. 1512. de Notar. in pr. vers. **Aber nach dem.** Aut ſi ipſi viles videntur, alii tantisper nomen munusque induunt. Apud Schatenium quædam exempla leguntur: Pacta connubialia, queis Ludovicus XIII. Annæ Infanti Hiſpaniarum, & Philippus IV. Eliſabethæ Galliarum, ſociabantur, Antonius Aroſtequius Eques torquatus, Hiſpaniarumque Regi à ſecretis, Notarium agens, notis inſerueras ſuis, teſte Grammondo. o) Sacro Pacto matrimoniali inter maximum omnis ævi Rectorem

LVDO-

n) de tit. honor. p. 143.

o) H. G. l. 1. p. 18.

LUDOVICUM XIV. & tanto Principe dignam Viraginem MARIAM THERESIAM Hiſpaniæ Infantem, filiam natu majorem Regis Catholici, *A.* 1659. præter utriusque Regis primarios Aſſeſſores, qui iſtam legationem adminiſtrabant, ſubſcripſit *Petrus Coloma, Ordinis S. Jacobi Eques, oppidorum Chozaz, Cavales, Tunclillers Dominus, in Conſiſtorio Indiarum Conſiliarius, Secretarius Status, Scriba & Notarius Catholicæ Regiæ Majeſtatis* addito *ſymbolo chirographario*, gallice *paraphe* vocamus. *H*anc cautionem inter eas, quas abundantes vocant, referendam putamus.

§. XVIII. Teſtes etiam quandoque ſubſcribere ſolent, ad quorum memoriam & conſcientiam provocaretur, ſi fors pactum ipſum ab alterutro negaretur, aut de verbis pacti dubium fuerit ortum. Hinc in diplomate Gartiæ Regis Arragoniæ æra DCCCC XVIII. apud *H*ieronymum Blancam p) teſtes *Confirmatores* vocantur. q) De teſtium antiquo uſu inſignis eſt locus apud Jeremiam Prophetam in capite XXXII. commate X. Neque hic inſuper habendum illud, quod aliquando teſtes laudantur in inſtrumentis nonnullis, quibus tamen non ſubſcripſerunt. Ejus generis eſt forma unionis *A.* MCCXII. inter Ottonem IV. Imperatorem & *A*lbertum Marchionem Brandenburgenſem apud Joach. Joh. Maderum, appoſitâ in calce hac clauſulâ: *his teſtibus præſentibus: Adolpho & Ludolpho, Comitibus de Daſela Bernhardo de Dorſtatt, Hermanno & Henrico, Comite de Haſtesberge*, nec tamen ullus horum ſubſcripſiſſe deprehenditur. r) In pacificatione inter Imperatorem Fridericum II. Regem Siciliæ & Abbuiſſac, Principem Saracenorum Africæ A. *à fuga* 628. Qui eſt annus Chriſti 1230. dicitur: *Hæc pax prædicta fuit contracta cum prædicto Legato Chriſtiano in præſentia illorum, quorum Deus miſereatur, Mahometanorum & Chriſtianorum, & teſtes intellexerunt omne hoc* &c. & in extremis te-

p) p. 599.
q) Mabillon. l. II, de Re diplom. c. 27. §. 9.
r) Add. Schaten. Annal. Paderborn. p. 7.

ſtes quoque recenſentur, Mahometani *Hametes, Mahometis filius, filii Geber Alceroani, & Hametes Omar &c.* & ſubjicitur: *In eo ſunt etiam ſcripta teſtimonia litteris latinis teſtium, & magni Romanorum Regis.*

§. XIX. Neque nihil intereſt, ubinam terrarum, ſeu *quo in loco* ſubſcribatur, ut vitentur vel inſidiæ, vel inanes de prærogativa controverſiæ. Inde vel in confinio vel medio flumine, vel ſupra pontem tractatus haberi & abſolvi. Anno 1559. Franciæ Hiſpaniæque Reges amandarunt legatos Inſulam, ſed Montmorancius Comeſtabilis negabat ſe ſubſcripturum pactis in loco Regi Hiſpaniarum parente ne pacem petitum veniſſe videretur. Idcirco amborum Regum legati convenere in Abbatia Cercampenſi & ſubſcripſerunt pactis in Caſtello Cameracenſi, *neutris partibus addicto.* t) Induciæ inter Albertum Archi-Ducem Auſtriæ & Provincias fœderatæ Belgicæ transactæ fuere Hagæ Comitis, at cum ſubſcribendæ eſſent, utriuſque partis legati Antvverpiam ſeſe contulerunt: quæ lecta dicitur Bentivoglio propter loci celebritatem u) Hug. Grotio x) quia & Batavorum multis inviſa hoſtium apud ſe manſio, & illi qui priores pacem petitum venerant, nunc velut rogari viciſſim pro magnifico ducebant. Tractatio Pacis An. 1669. inter Galliæ & Hiſpaniæ regna, fuit cœpta per Lionæum Mantuæ Carpentanorum, continuata per Pedimantellum Lutetiæ, & tandem perfecta & ſubſcipta in montibus Pyreneis, i. e. *in limite utriusque Regni.* Idque ad dignitatem utriuſque Regni pertinere videbatur. Locus enim Pariſiis & Madrito æque fere diſtabat, quilibetque legatorum ſe in territorio Heri ſui pacem componere, neque in quacunque re alteri cedere, non vane gloriari poterat. Etenim in Inſula, cui à Phaſianis avibus nomen inditum duæ menſæ erant poſitæ altera in Galli, altera in Hiſpani ditione, & quilibet Legatorum ſuæ aſſidens ſubſcripſit

t) Wiquefort l. 11, de l'Ambaſſ. p. 178.

u) Id. d. l. p. 179.

x) l. XVIII. Hiſtor.

pſit pactionibus pacis: aſt, quod maxime notandum venit, matrimonii pactum ſubſignatum eſt in menſa Ludovici Haroii. Ea quippe honoris prærogativa deberi Infanti *Hiſpaniarum* videbatur, quam Rex nuptiis ambibat & prehenſabat. y)

y) Wiquefor. l.c. p. 180.

§. XX. *Temporis ſubnotationem* adeo in omni omnino inſtrumento neceſſariam judicarunt quidam populi, ut ſcripturam valere noluerint, in qua annus & dies non oſtenderetur. z) Chryſoſtomus: a) Ὅσον δὲ τῶν χρόνων κέρδος ἐστὶ γινωσκομένων, καὶ ὅσον τὸ βλάβος ἀγνοουμένων, ἀναγκαῖον εἰπεῖν. καὶ πρῶτόν γε ἀπὸ τῶν βιωτικῶν τοῦτο ἐπιδείξομαι πραγμάτων, αἱ διαθῆκαι, καὶ τὰ γραμματεῖα τὰ περὶ ὀφλημάτων. Τὰ περὶ τῶν ἄλλων συμβολαίων, ἐὰν μὴ τῆς ὑπατείας τοὺς χρόνους ἄνωθεν ἔχῃ προγεγραμμένους, πάσης ἔρημα τῆς οἰκείας ἐστὶ δυνάμεως. Id eſt. *Quanta autem ex temporum cognitione percipiatur utilitas; quantum etiam ex eorum ignoratione damnum conſequatur, dicendum aliquid eſt. Quod à rebus ſecularibus primum demonſtrabo. Teſtamenta & tabulæ de nuptiis, de debitis deque reliquis contractibus, niſi in principio annos Conſulum habeant præſcriptos, vi ſua deſtituta ſunt.* Sed multo clarius id ſequentibus verbis apud eundem Chryſoſtomum: Διὰ τοῦτο οἱ ταῦτα γράφοντες, ὥσπερ λύχνον ἐπὶ λυχνίας, οὕτως ἐπὶ τοῦ μετώπου τοῦ γράμματος πρωτοτυποῦσι τὴν ὑπατείαν, ἵνα πᾶσι τοῖς κάτω φαίνῃ. κἂν ταῦτα ἀνέλῃς, ἀνεῖλες τὸ φῶς, καὶ πάντα σκότους καὶ πολλῆς ἐνέπλησας ταραχῆς. Id eſt. *Proinde qui talia ſcribunt, non aliter quam lucerna in candelabro poni ſolet, ſic in fronte inſtrumenti Conſulum nomina* (adde quamlibet tempora computandi rationem) *præſcribunt, ut omnibus, quæ ſequuntur poſtea præluceant. Quæ ſi ſuſtuleris, lucem ſuſtuleris, omniaque tenebris & grandi confuſione compleveris.* Idem χρύσεον στόμα, poſt quædam interjecta: Τοῦτο γάρ ἐστιν ἐκείνοις τὸ ἰσχυρόν· τοῦτο τὰς ἀμφισβητήσεις ἀναιρεῖ· τοῦτο τῶν δικαστηρίων ἀπαλλάσσει καὶ τοὺς ἐχθροὺς φίλους ποιεῖ. *Hoc enim eſt quod robur illis addit; hoc quod controverſias dirimit; hoc quod*

z) Vid. L. Alamannor. 43. apud Baluz. Add. Ant. Perez. ad C. tit. de fid. inſtrum. n. 11.

a) Homil. 11. de verbis Jeſaiæ, Vidi Dominum.

à litibus & foro liberat; hoc quod ex inimicis amicos facit. Idcirco Sueci *in declaratione ſuper reformato ſalvoconductu Polonico d. 25. Maji A. 1659.* ita loquuntur: *Dies & menſis, quibus datus eſt hic reformatus ſalvus conductus, penitus ſunt excluſa & omiſſa. Aſt quid ſibi velit hæc excluſio & omiſſio, cum ex conſenſu Reip. in Comitiis decretum ſit negotium tractatuum pacis, & quæ illos promovere poterunt, præliminaria oporteat rite confici, ipſos qui technæ hac uſi ſunt, in ludibrium Dominorum Commiſſariorum Suetic orum & impedimentum pacis, latere non potuit.* b) In tabulis autem pactorum publicorum ea, quæ apud utrumque populum recepta eſt computandi ratio, notari ſolet. In prorogatione fœderis inter Romanorum & Turcarum Imperatores Anno 1590. ita ſubnotatum videmus apud Waramundum: *Scriptum in Imperiali noſtra aula Conſtantinopoli in principio lunæ Seffer Anno ſanctiſſimi noſtri Prophetæ 999. circa principium Decembris Anno Chriſti 1590.* Similiter pacta inter Catholicos & Proteſtantes inita non raro *Styli*, quem vocant, *Gregoriani* & *Juliani*, ſive *novi* & *veteris*, (quem ad accuratum calculum Aſtronomicum opera *Erhardi VVeigelii* Mathematici Jenenſis longè lateque inclyti emendari, emendatumque recipi in ſuis regionibus publico edicto præcepere Germanici Imperii Proceres Proteſtantes) ſubnotatione ſignantur. In fœdere An. 1596. inter Galliæ & Angliæ Reges, ſola Anglicana ſupputatio additur: *Actum Grenovici die 16. Menſis Maji à nativitate Chriſti 1596. ſecundum computationem Eccleſiæ Anglicanæ.* Hæc tangimus ſolum, ne in nimiam amplitudinem adoleſcat diſſertatio.

b) Diar. Europ. Tom. II. p. 256.

§. XXI. SIGILLORVM (quæ ſigna etiam Romani nuncupabant) uſus inventus eſt ad faciendam fidem & ad conciliandam rebus ſcriptisque auctoritatem, atque loco generalis cautelæ obſervandum eſſe monet Hœppingius, ut ſubſcriptioni addatur ſigillum. Imo ſi certo conſtet, ſigillum volun-

voluntate illius, ad quem ea res pertinet, eſſe adpoſitum, ſub-ſcriptionis vim habet ejuſque loco probare dicitur Vid. *Card. Tuſch. pr. concl. jur. 239. voc. ſigillans.* &, quæ Alexandri *Conſ. 147 num. 7. lib. 2.* ſententia eſt, *ſubſcriptio una, & una ſigillatio auctorizat mille contractus.* habetque vim clauſulæ *ex certa ſcientia* & ut contractus habeatur pro concluſo. c) Adpoſite Guntherus Ligur.

Neve ſecuturi factum ſubvertere Reges,
Aut revocare queant, regali tuta ſigillo
Argumenta Duci monumentaq; certa reliquit.

Cum enim ſigna manus ductibus efformata facile ab aliis effingi & ſupponi queant: Inſculpta eſt ſigillis teſſera, quæ non niſi operoſe à falſariis confingi potuiſſet. Certè Titus ea erat ſcribendi facilitate præditus, ut *cum amanuenſibus ſuis per ludum jocumque certaret imitari chirographa quæcunque vidiſſet, profiteretur que, ſæpe ſe magnum falſarium eſſe potuiſſe*, uti Tranquillus narrat *in Tito.* Nec tamen ſigilla ab hac etiam fraude immunia fuere. Unde Neronis principatu, (teſtem Suetonium *in Nerone* c, 17. Auctorem Paulum *lib. V. Recept. ſentent. tit. XXV. §. 5.* cito,) *ampliſſimus ordo decrevit, eas tabulas: quæ publici vel privati contractus ſcripturam continent, adhibitis teſtibus ita ſignari, ut in ſumma marginis ad mediam partem perforatæ, triplici lino conſtringantur, atque impoſitum ſupra linum ceræ ſigna imprimantur, ut exteriores ſcripturæ fidem interiori ſervent. Aliter tabulæ prolatæ nihil momenti habent.* d) Et nuda ſigilli appoſitio, cum ſit ſuſpecta, nihil probat. e) Itaque inſtitutum eſt, ut conventionum publicarum tabulæ ſigillo proprio, ſolito, incorrupto ſignentur, adjecta fraudi omni eliminandæ, ipſius ſigilli mentione.

§. XXII. PRIMUM itaque eſt, *ut ſigillum, quo conventiones publicæ firmantur ſit paciſcentis proprium,*

c) Vide late Hœpping. de Jur. ſigill. c. 12. n. 13. & ſeqq.

d) Add. L. 1. §. Si linum D. de bon. poſſeſſ. ſec. tab. L. 3. §. Si quis ignorans & L. ſi quis in gravi §. Si quis tab. D. de SC. Silan. & Salmas. de mod. uſurar. p. 433. ſeqq.

e) Mev. P. 1 1. Deciſ. 60. n. 7.

f) Gloſſ. in cap. inter dilectos § delectæ X. de fid. inſtrum, Bald ibid. n. 15. vſ. ſed oppono. Maſcard. de probat. concl 1308. n. 21.

proprium. In arduis quippe negotiis non ſufficit, alienum appoſitum vel impreſſum eſſe. f) Quemadmodum enim ſi quis alii, quam ei, cujus juri ſubjectus ſit, ſtipuletur, nihil agit. §. 4. J. de inutil. ſtipul. (nemo enim alienum factum promittendo obligatur; & ita utimur) L. 38. pr. D. de V. O. Ita quoque neque is, qui alieno ſigillo utitur, eum, cujus eſt ſigillum, obligat, niſi ſit mandatarius, nec pactum, quod ipſe conciliat, firmare videtur, cum ſemper exceptioni locus ſit, ſe invito atque etiam inſcio, alienum Sigillum fuiſſe impreſſum. Proprium autem nos heic non opponimus communi pluribus civitatibus, eſt enim illud utique proprium iſti Vniverſitati. Vti Civitates Hanſeaticas communi civitatis Lubecenſis ſigillo uti ſcribit Theodor. Hœppingius. g) Id tamen diſſimulatione celandum non eſt, quod Bartolum monere Cardinalis Tuſchus tradit. h) Sigillo alieno ſignatam ſcripturam non minus probare ac ſi ſigillo proprio eſſet munita, *dummodo mentio fiat, quod fuit facta ſigillatio cum ſigillo talis impreſſionis alieno.* In compoſitione diſcordiæ inter Engelbertum Archiepiſcopum Colonienſem, Simonem Epiſcopum Paderbornenſem & Comites Waldeccenſes An. 1260. legitur ſub finem: *Nos, qui Sigilla non habemus, ſigillis appenſis contenti ſumus.* Schaten. *Annal. Paderborn.*

g) de Jur. ſigill. c. 4. n. 119.

h) concl. pra. 239. voc. ſigillans.

§. XXIII. DEINDE neceſſe eſt, *ut Sigillum ſit ſolitum.* Plenam enim ſigillo fidem non haberi, niſi ſit talibus negotiis dicatum conſtans ſapientum ſententia eſt. i) Succi in declaratione d. 25. Maii An. 1659. ſuper reformato Salvoconductu Polonico: *Quod Sigillum*, inquiunt, *non appenſum pergamento, ut in rebus ac litteris tanti momenti moris eſt* (quæ verba ſupra qnoque allegavimus) *ſed papyro impreſſum*

i) c. 48. X. de appellat. Bart in l. quæ datis. D. ſol. matr. Specul. tit. de Citat. § jam de citatione n. 13. Menoch. l. 2. præſumt. 57. n. 16. & 17. Card. Tuſch. pract. concl. 238. n. 2. & concl. 240 n. 7. lit. S Maſcard. de probat. concl. 626. n. 49. concl. 627. n. 5. concl. 1302. n 29. & 53. aliique citati apud Hœpping. de Jur. ſig. c. 9. n. 10.

ſum fuit, attinet, in locum inſignium gentilitiorum Regis Poloniæ, in pectore Aquilæ, cælatura Equitis, qui alias inſigne Lithuanicum, cum gemina cruce in parvo ſcuto, exhibere ſolet, conſpicitur, & qui clypeum quadripartitum Inſignia Svecica haut obſcure exprimentem gerit; præ ſe ferentibus conſueto loco tribus coronis & in areola media inſigniis Regis gentilitiis. Quæ res cum plane ſit præter morem & obſervantiam gentis Polonæ, non poteſt non apud Dominos Plenipotentiarios Sueticos generare juſtas impreſſiones & cauſas cogitandi, neque ſerio rem agi à Polonis, neque ſecuritati Dominorum Plenipotentiariorum præfato Salvoconductu debite ac ſufficienter proſpectum eſſe: ut vel eo nomine atque imprimis quod ingens præjudicium juri S. R. M. Sueciæ Domini ſui Clementiſſimi creet, iſtas litteras admittere nequeant. Quinimo nec aſſequi poterunt, qui fiat, quod contra ſtatum ac ſtylum Poloniæ, ſigillum Regni idque majus vocitetur Regium, iis ſub calcem verbis: Sigillo noſtro Regio firmari juſſimus. Quibus omnibus probe perſpectis, cum præſumi non poſſit, tam craſſos errores in re tanta, caſu vel incogitantia eſſe commiſſos in Cancellaria Polonica; Sigillum vero hoc novum in præjudicium Sacræ Regiæ Majeſtatis Sueciæ, ſtudio & datâ operâ cælatum atque exſculptum eſſe, manifeſto appareat; Domini Plenipotentiarii Suedici merito queruntur ſibi ſic illudi. *) In ſecundum emendato Salvo conductu Polonico annotabant d. 1. Jun. A. 1659. Polonos ſub finem, ubi Sigillationis fit mentio, uti formula Sigillo regio: quod ſtylo Curiæ Poloniæ contrariatur, & Sigillum Regni ut nominetur, poſtulari. k) De diverſitate Sigilli Regii & Imperatorii in Imperio Germanico dicta in diſſertatione noſtra de *Germaniæ Imperatorum & Regum diplomatis* hoc loco non repetimus. Heic autem ſpectanda eſt tum *forma*, tum *materia*. Ratione *formæ* ſive figuræ *eſt*, ut Mabillonii l) verbis utar, *& magnum & parvum Sigillum*: *magnum* authenticum; *parvum* Secretum *ſeu* Secreti *appellatum*;

*) Diar. Europ. T. II. p. 256.

k) ibid. p. 240

l) L. II. de Re diplom. c. 14 §. 6.

latum; à contraſigillo, *quod* adverſo Sigillo *adponi ſolet, aliquando diſtinctum, nempe ubi æqualis eſt cum Sigillo magnitudinis.* Publica autem negotia, ob rerum gravitatem, magnum ſive authenticum requirere ſigillum, nulla commoda ſubeſt dubitandi ratio. Hinc in plerisque regnis diſtincta officia Magni & privati ſigilli cuſtodia, illudque hoc non paulo magis ſplendidum. Sic leguntur multi apud Carolum Cangium, qui, cum ſigillum authenticum non haberent, contraſigillum, quod *ſigillum ſecreti* paſſim dictum, litteris adpendebant, pollicitantes ſe primâ quâque occaſione ſigillum authenticum adpoſituros. Exempla etiam refert Olivarius de Wræo in libro de ſigillis Comitum Flandriæ in Ludovico III. teſte Mabillonio. m) In *reſcriptione* Regis Philippi Valeſii ad Eduardi III. Angliæ Regis *Chartam in prælium*, A. 1340. apud Leibnizium, n) *Soubz le ſeel de nôtre ſecret, en abſence de nôtre grand ſeel*; id eſt, *Sub Sigillo Secreti, penuria noſtri majoris ſigilli.* In tractatu ad Boloniam (quæ olim Bononia & Geſſoria cum Navali dicta) A. 1600. inter Deputatos Regis Hiſpaniæ, Reginæ Eliſabethæ atque Archiducis Auſtriæ Angli in autographo delegationis Regis inter alios hunc defectum adnotarunt: *Privato Regis Sigillo muniri, cum illud Regina Magno Angliæ Sigillo muniretur.* o) Fœderatæ Belgicæ ordines negarunt ſe accepturos Diploma ratihabitionis induciarum octimeſtrium belli Belgici A. M D VII. quod per faſtum & contemptum *minuſculo, non majori Sigillo* tantæ rei monumentum obſignatum eſſet, quo jaci debebant fundamenta ſperandæ in æternum pacis. p) Itaque ſæpius cautum legimus, ut factæ conventiones publicæ per patentes litteras partis utriusque *Sigillo Majori* munitas, debita & authentica forma, vel, ut loqui amant, *in forma probante* confirmentur. Præſtitum hoc in pace inter Anglos & Belgas A. 1654. q) & aliis pactis publicis permultis apud Londorpium. Poſſent heic

m) l. 2. de Re dipl. c. 18. §. 8.

n) dipl. 80.

o) Camden. Part. IV Hiſt Elizab. ad A. 1600.

p) Bandius de induciis Belgicis l. 1.

q) art. 33.

heic de *Inſignibus* ipſis & *Gentilitiis Symbolis eorumq́, Parmis, Areis, Metallis, Coloribusq́, Partitionibus, Figuris, earũq́, Diminutionibus, & Typi Gentilitii aaſcititia ſectione, Telamonibus Atlantibusve, Apice & appendice coronariis, Verbo ſcutario, Alalagmo*, de ligaturâ, item de cautionibus circa hæc talia obſervandis natisque controverſiis nec injucunda lectu nec plane ab argumento, quod verſamus, abhorrentia afferri. Sed modus nobis potius quærendus eſt, quam copia. Præterea hoc argumentum *Artis Heraldicæ Magiſtri* executi ſunt, ac cum cura. Neque contemnenda ſunt quæ apud Theodorum *Hœppingium C. VIII. de Sigillorum priſco & novo Jure* leguntur. De *loco & ordine* ſignacula adponendi eadem obtinent, quæ de ſubſcribendi ordine diximus. Nam & in ſigillando quædam conſiſtit *præcedentia*; atque ideo Majorem ſive digniorem primo loco ſigillare debere Abbas teſtatur *in cap. 1. n. 2. X. de Major. & obedient.*

§. XXIII. Circa *materiam* Sigillorum non minus cavendum eſſe ratio dictat, ne materiâ aliâ, quam quæ recepta eſt, ſigilletur. Eſt autem materia aurum, argentum, plumbum, cera eaque diverſi coloris. Poſſemus heic ire per ſecula ſingula ac mores nationum Chriſtianarum omnium luſtrare, niſi feſtinandum nobis ad alia, & ipſe hic locus à Mabillonio & Viro Nobiliſſimo *Henrico* Gunthero Thulemario, quondam in *Heidelbergenſi* Vniverſitate Profeſſore percelebri, quique jam nunc Rempubl. Civilem meritis devincit ſuis, in elegantiſſimo *de Bullis* libello, occupatus eſſet.

§. XXIV. TVM *integrum illæſumque ſigillum ſit, neceſſe eſt.* Sigillum enim mancum, mutilumque ſimul dubium incertumque eſt, &, ut Gelliano verbo utar, minime cognobile. Quod autem mancum mutilumque ipſum eſt, quomodo firmitatem addere alii poteſt? &

M 2 quod

quod dubium, quod incertum, quid ad probandum faciet? quis denique agnoſcet ſigillum minime cognobile? Hinc in genere dici ſuevit: Litteræ, quarum ſigilla non ſunt integra, nihil probant, s) & corruptum ſive vitiatum ſigillum, in quo tot deficiunt literæ, ut ſenſus vitietur, fidem ejus abſolute, aliis ſigillum ſuſpectum reddentibus haud junctis, evertere magno DD. omnium ætatum conſenſu confirmat Theodor. *Hoeppingius*, additis quibusdam limitationibus exceptionibusque. At nos ejus eorumve ſcrinia non compilamus. Tu audi Suecos. Unde enim exempla potius quam à Suecis petemus? Eorum autem *in informat. ſuper præliminaribus Tractatus Pacis d. 12. Mart. A. 1659.* t) hæc eſt oratio: *Sacræ R. Majeſtatis Sueciæ ad tractatus Polonicos Plenipotentiarii Legati & Commiſſarii magno deſiderio hactenus præſtolabantur reditum generoſi Domini Akakia è Poloniâ, ſpe freti, ut diplomata Salvorum Conductuum non tantum à Sereniſſimo Rege Poloniæ, ſed & ab Imperatore & Electore Brandeburgico pro Dnn. Sueticis aſportaſſet. Sed præter omnem expectationem perceperunt, unicum tantum eſſe allatum, eumque Polonicum chartaceum, & quidem non in debita ac requiſita forma, quoad Sigillum in eoque expreſſos titulos, unde non ſatis mirari poſſunt, qui fiat, quod poſt toties repetita apud Excellentiſſimum Dominum de Lumbres tum ſcripto tum oretenus monita, ejus Excellentia tandem à Rege Poloniæ eum Salvum Conductum extraxerit, & non ſine magna jactura temporis huc transmiſerit*, qui in Sigillo cumprimis multis, iisque non ferendis ſcatet defectibus, raſuris & lacunis, ut acceptari nequeat. *Neque enim latere Dominum Legatum de Lumbres, aut memoria ipſi excidere potuit, quæ non tantum de titulis utriusque Regum, ſed etiam de Sigillis, imprimis Regis Poloniæ jam ſæpius cum Eo acta ſunt: nominatim Stetini Menſe Martio & Wiſmariæ menſe Julio ſuperioris anni 1658. Et quæ præterea de Sigillo Polonico Dominus Præſes Gyldenklau*

s) Cothman. reſponſ. 97. n. 29. vol. 2.

t) in Diar. Europ. Tom II. p. 150. & ſeqq.

denklau Menſe Septembri præterlapſi anni ad eum ſatis dilucide & copioſe perſcripſit, poſtulans illud Sigillum Salvo conductui apponi, quo Sereniſſimus Rex Poloniæ uſus fuit A. 1655. etiam poſt renatum bellum, in aliquot ſuis ad Sacram Reg. Maj. Sueciæ literis. Quo eodem Sigillo firmata etiam fuit Polonica Plenipotentia Regia, quæ Stockholmiæ à Dominis Legatis Polonicis eodem anno eſt exhibita. Comprehendit autem ſigillum illud in peripheria exteriori titulum Regis Poloniæ abbreviatum, cum tribus Etcæterationibus ad M. Ducatum Lithvaniæ ſine ullo hiatu ac raſura: In interiori circulo inſignia Provincialatuum Magni Ducatus, tum aliorum Ducatuum Polonicorum. In ipſo autem Corpore Inſignia Regni Poloniæ cum majori Corona Circulos ambos ſurſum interſecante, & additis ſaltim in centro Inſigniis Regis Gentilitiis, cum minori Corona. Prout Excellentiſſimo Domino Legato de Terlon hoc ipſum ex Sigillo literis Sereniſſimi Regis Poloniæ impreſſo ad vivum monſtratum, & exemplum ejus depictum pariter traditum eſt. Sed quod Sigillum Regis Poloniæ, quo obſignatæ fuerunt allatæ è Polonia Salvi conductus literæ, attinet, non conſpicitur in exteriori illius circulo Regis nomen, ſed obtuſa *vel* deleta *ſunt ea verba,* Johannes Caſimirus Dei gratia Rex : *& in interiori* ingens lacuna *proſtat, in qua* expunctus *eſt prætenſus Regis titulus Suecicus, qui exprimi ſolet vulgo his verbis :* nec non Suecorum, Gothorum, Vandalorumque hæreditarius Rex. *Quales quidem* expunctiones, inciſiones & raſuras *A. 1635. à Cancellario Regni Poloniæ in Sigillo Regio commiſſas domini Commiſſarii Polonici in tractatibus Lubecenſibus de annis 1651. & 1652. magnopere deteſtati, falſitatis prorſus damnaſſent, niſi literis Epiſcopalibus & Hollandorum fide & atteſtatis aliquantulum fulcitæ fuiſſent. Igitur non vident Domini Plenipotentiarii Suecici, quo vel honore vel* ſecuritate, *vel ſpe ſuccedentium tractatuum jam poterunt agnoſcere & recipere illum Salvum conductum, qui ejuſmodi Sigillo munitur*

nitur, quod fere nihil niſi deformationem ex plurimis lacunis & raſuris *præ ſe fert: NB. ut vix dignoſci poſſit Sigillum eſſe Regium Polonicum: nec vel obſervantia pridem inducta, vel juri atque exiſtimationi Sacræ Regiæ Majeſtatis Sueciæ reſpondet.* Atque hæc *eſſentialia requiſita* vocant in articulo ſequente IV. Adde *litteras DD. Legatorum Sueticorum ad Lumbranum Regis Chriſtianiſſimi Oratorem d. 9. Apr. 1650.* u)

u) Diar. Europ. d. l. p. 180 & ſeqq.

§. XXV. DENIQVE in Inſtrumentis pactorum publicorum plerumq; ubivis fere Gentium *mentio fit Sigillorum.* Quamvis Merovcadas Francorum Reges Sigilli in chartis non meminiſſe alibi dictum ſit, quod tamen an etiam in Conventionibus cum exteris factis obſervarint, nunc non diſpicimus. In fœdere antiquiſſimo Smyrnæorum cum Magneſiis, (quod exhibet Seldenus in marmoribus Arundellianis) mentio fit τοῦ ὑπάρχοντος κοινοῦ, *communis Sigilli.* In inſtrumentis mediæ ac noviſſimæ ætatis fere omnibus talis formula deprehenditur: *ut hoc factum ratum permaneat & inconvulſum, præſentem paginam exinde conſcriptam Sigillo noſtro muniri fecimus*; aut ſimilis in eandem ſententiam, veluti apud Schatenium Annal. Paderborn. x) *In cujus teſtimonium & firmamentum nos pro nobis & noſtris ſucceſſoribus noſtra Sigilla hiſce litteris appendimus.* Adeat, qui volet, Leibnizium in Codice diplomatico Juris Gentium, ubi aliquammulta in hunc ſenſum reperiuntur. Quid? quod dolis omnibus averruncandis quandoque tota ſigilli ratio in Inſtrumentis deſcripta eſt. In conventione facta per Johannem Comitem Moreſti cum Rege Galliæ Philippo Auguſto Paris. A. incarnat. 1193. dicitur: *Et ſont les dictes lettres tranſcrites, ſcellées en lacqs de ſoye rouge, pendant au reply d'un ſcel de cire blanche, auquel eſt empreint une figure d'un homme armé à cheval, tenant une epée nuë en main, & en la circonference du dict ſcel eſt ecrit:* Sigillum Johannis

x) l. II. p. 12. & 14. item. p. 438.

Johannis filii Regis Angliæ. *Et au dos des dittes lettres eſt eſcrit:* Littera Johannis Comitis Moreſti Fratris Richardi Regis Angliæ, ſuper Conventionibus, quas habuit cum Domino Rege Philippo. y) In inſtrumento fœderis inter Eduardum Angliæ Regem & Guidonem Flandriæ Comitem, contra Regem Galliæ initi A. 1296. z) eſt: *Et parceque totes ces choſes ſoient plus ſacrées, tenues & gardées mieux & plus fermement, nous en nom de ſouvenance & de temoignage avons ces preſentes lettres faict ſeeller de nôtre ſeel.* Id eſt: *Ut hæc omnia magis ſacra habeantur & melius firmiusque ſerventur, in eorum recordationem & teſtimonium præſentes litteras ſigillo noſtro muniri juſſimus,* & poſt loci temporisque ſubnotationem, *Et ſont les dictes lettres cy deſſus tranſcriptes, ſeellées ſur le reply en lacqs ou cordons de ſoye verte & rouge d'un grand ſeel de cire verte, à l' autre part duquel ſeel eſt la figure d'un Roy aſſis en une chaire, ayant Courronne en teste, & & de l autre part eſt un homme monté ſur un cheval armé par le chef, & tenant une epée à la main: à la Circonference duquel ſeel eſt pareille inſcription à cette qui enſuit:* Edwardus Dei gratia Rex Angliæ Dominus Hiberniæ, Dux Aquitaniæ. *Et ſur le dos des dictes lettres eſt écrit ce qui enſuit:* Confœderationes factæ inter Regem Angliæ & Comitem Flandriæ, anno milleſimo ducenteſimo nonageſimo ſexto. Id eſt: *Et dictæ litteræ ſunt tranſcriptæ & ſignatæ in reflexa ora reſticulis bombycini viridis & rubri, ſigillo magno ceræ viridis, cujus in altera parte figura Regis ſolio inſidentis & caput corona cincti, in altera viri equo vecti, galeati & gladium manu tenentis inſculpta eſt; peripheriam abſolvit hæc inſcriptio:* Edwardus &c. *In averſa litterarum parte ſcriptum eſt, quod ſequitur.* Confœderationes, & reliqua. O curas hominum!

y) Leibn: dipl. 4. Add. dipl. 9 5. 4.
z) dipl. 21. §. 7

§ XXVI. *Aliorum* etiam ſigilla addi nonnunquam ſolent, velut *Mediatorum, Sponſorum, Notariorum, Teſtium,* plane

plane uti circa ſubſcriptionem obſervare licet. In compoſitione inter Conradum Colonienſem Archiepiſcopum & Simonem Paderbornenſem Electum *A.* M CC XLVII. ita legitur ſub finem: *Nos etiam Monaſterienſis Electus & Abbas Corbejenſis, & B. Dominus de Lippia, qui dictæ compoſitioni etiam interfuimus, ſigilla noſtra rogati duximus apponenda.* z)

z) Schaten. p. 55.

§. XXVII. Inſtrumentis affines ſunt *Stelæ*, CIPPI, *pilæ*, Ulpiano a) *columnæ ſtructiles*, noſtratibus pilaria dictæ, *Statuæ*, *Pyramides*, *Hermetes*, *tabulæ æneæ* aliæve, quibus inſculpebantur apud antiquos mortales pacta publica. Cippis erectis incidi in Olympiis, in Pythiis, in Iſthmo, *Athenis* intra urbem & Lacedæmone in *Amyclæo* fœdus inter *Athenienſes* eorumque ſocios & Laconas ictum, conventum eſt. b) De columnis lapideis vel pilis, quibus apud Lacedæmonios fœdera incidebantur, eſt inſignis locus apud Nicolaum Cragium. c) Fœdus inter Judam Macchabæum & Romanos percuſſum *reſcripſerunt in tabulis æreis & miſerunt in Jeruſalem, ut eſſet apud eos ibi memoriale pacis & ſocietatis.* 1. Machab. 8; 22. ut mos erat ſcribi fœdera & figi in Capitolio, quod hic addit Joſephus. *Appianus Alexandrinus* d) de fœdere Romanorum cum *Antiocho*: Ταῦτα συγγραψάμενοί τε καὶ ἐς τὸ καπιτώλιον ἐς δέλτους χαλκᾶς ἀναθέντες οὗ καὶ τὰς ἄλλας συνθήκας ἀνατιθέασιν.) *Hoc fœdus in æs inciſum, dedicatum eſt in Capitolio, ubi ſolent & alia dedicari fœdera.* Polybius b) de fœdere primo inter Romanos & Carthaginienſes: Τηρουμένων τῶν συνθηκῶν ἔπι νῦν ἐν χαλκώμασι παρὰ τὸν Δία τὸν καπιτώλιον ἐν τῷ τῶν ἀγορανόμων ταμιείῳ. Id eſt: *Cum ſerventur fœdera tabulis æneis inſcripta, apud Jovem Capitolinum in Ædilium ærario.* Tempore pacificationis Neomagenſis quindecim Cippi per urbis vicos poſiti ſunt, cum inſcriptione NEVTRLITAS. f)

a) L. ſicut. D. Si ſerv. vind.

b) Seldenus de Synedr. Vet. Hebr. l. 2. c. 11. p. 838

c) l. 4. de Rep Lacedæm. 16

d) de bellis Syr.

e) l. III. c. 26

f) Vid. les actes & memoires de la paix de Nimegue.

CAP.

CAPVT VII.

De JVREJVRANDO, quo firmantur conventiones publicæ.

SVMMARIUM.

§. I. Circa JVSJVRANDVM, quo firmantur conventiones publicæ, ipſo fidei vinculo arctius *ob metum potentiæ Divinæ* adſtricto, obſervanda

§. II. DEFINITIO.

§. III. CAUTIONES quædam: *(1.) ut præſtetur juxta religionem jurantis.*

§. IV. *(2.) ex intentione deferentis.*

§. V. *(3.) Ut ipſa verba jurantis enuncientur,*

§. VI. *(4.) Solenniter,*

§. VII. *(5.) ab ipſis paciſcentibus.*

§. VIII. In civitatibus mixtis quomodo jurandum?

§. IX. *(6.) Inter abſentes per procuratores in animam Principalis.*

§. X. *(7.) Quandoque accedentibus* juratoribus aliis, veluti *ſacramentalibus.*

§. XI. AFFINIA, ut *Excommunicatio, Diræ, Execrationes.*

§. I.

APud omnes populos & ab omni ævo circa fœdera, pacificationes, pactiones alias maxima ſemper vis fuit JURISJURANDI; quod nos adeo, expoſitis, quæ *ad probandi modum* attinent, conventionum publicarum firmamentis, inter ea, *quæ ipſum fidei vinculum arctius conſtringunt*, primo loco referendum duximus. *Pactum* quidem eſt, quo adſtringimur, *jusjurandum* ad punitionem divinam attinet, quam provocare abſonum eſſet, ſi pacti violatio non eſſet per ſe illicita. Talis autem non eſſet, niſi pactum eſſet obligatorium.

 Præterea

Præterea qui renunciat miſericordiæ divinæ, non obligat ſe ad pœnam: quia ſemper licet mortalibus pœnam utcunque provocatam in caput deprecari, atque divina, ſi datur, uti frui indulgentia. In ſtatu tamen naturali viventes, qui judicem in humano foro nullum habent, terreat metus Divini Numinis, neceſſe eſt, *Omnipotentis* in eos, qui fidem ideo fallunt, quia potentia ſua pœnam humanam effugere ſe poſſe ſentiunt, & *omniſcii* in eos, qui fidem violare ideo ſolent, quia oculos hominum latere ſe poſſe ſperant. *Quis enim non timeat*, inquit neſcio quis apud Ciceronem g) *omnia providentem & cogitantem & animadvertentem & omnia ad ſe pertinere putantem, curioſum & plenum negotii Deum.* Idem de Finibus: *Si qui ſat ſibi contra hominum conſcientiam ſepti eſſe & muniti videntur, Deorum tamen Numen horrent; easque ipſas ſolicitudines, quibus eorum animi noctes atq; dies exeduntur, à Diis immortalibus ſupplicii cauſa importari putant.* Quem metum non ab altiore principio, & ex ſenſu quodam imperii Divini deſcendere in animos hominum, ſed ex mera tantum ſimplicitate aut aſſuetudine provenire, nemini bono & prudenti facile perſuaderi poterit. Huc pertinet quod ajebat Heraclitus τὰ κοινῇ φαινόμενα πιστά, *quæ communiter ita videntur fida ſunt*, ſtatuens λόγον τὸν ξυνὸν optimum eſſe veritatis κριτήριον. Quintilianus: *Pro certis habemus ea, in quæ communi opinione conſenſum eſt.* Quis autem populus jurisjurandi religionem non maximam putavit ſemper? *Nullum vinculum*, inquit Cicero, *ad adſtringendam fidem majores noſtri jurejurando arctius eſſe voluerunt.* Ægyptiis jusjurandum μεγίστη παρ' ἀνθρώποις πίστις, *maxima fides hominibus inter ſe.* Cui ſimile illud Legatorum Juſtiniani ad Choſroen, *Procopii Perſicorum II.* quod jusjurandum ὁ τῶν ἐν ἀνθρώποις ἁπάντων ὕστατόν τε καὶ ἰσχυρότατον εἶναι δοκεῖ τῆς ἐς ἀλλήλους πίστεώς τε καὶ ἀληθείας ἐνέχυρον, *quod inter homines ſummum firmiſſimumque creditur veritatis*

h) l. 1. de Natur. Deor. c. 20.

veritatis & fidei pignus. Nec diſſimile quod ex Concilio Toletano VIII. Gratianus retulit Cauſ. XXII. qu. 1. c. 1. *Omne quod in pacis fœdera venit, tunc ſolidius ſubſiſtit, cum juramenti hoc interpoſitio roborat. Sed & omne, quod amicorum animos conciliat, tunc fidelius durat, cum eos ſacramenti vincula ligant.* Nunc quid ſit jusjurandum, unde ejus vis oriatur & quomodo liquido jurandum, videamus.

§. II. *Jusjurandum* oratio eſt promiſſioni adjecta, qua ſignificat promiſſor, niſi præſtiterit, renunciare ſeſe miſericordiæ divinæ. Quæ definitio colligitur cum ex iis, quæ diximus, tum vero maximè ex ipſis quibus eſſentia jurisjurandi continetur verbis, nimirum *ita me adjuvet DEUS*, vel aliis æquipollentibus, ut apud Romanos: *Tu Jupiter macta eum qui fefellerit, ut ego hanc macto porcam.* Sæpe tamen ſola Numinis invocatio exprimitur, imprecatione ſubintellectâ, quæ vel ſeorſim aliquando adhibetur, vel à deferente jusjurandum exigitur. Sicut Ægialus in Medea h) & cum illa

Ὄμνυμι γαῖαν, λαμπρὸν ἡλίου τε φῶς
Θεοὺς τε πάντας, ἐμμένειν, ἅ σου κλύω.
Juro per terram ſplendidumque ſolis lumen
Omneſque Deos, ſervatum iri, quæ dicis.

Subjicit Medea, ut fortius eum adſtringeret,

Ἀρκεῖ. Τί δ᾽ ὅρκῳ τῷδε μὴ 'μμένων πάθοις;
Sufficit. Verum quid, ſi jusjurandum violes,
paſſurus?

Reſpondet ille,

Ἃ τοῖσι δυσσεβοῦσι γίγνεται βροτῶν,
Quæcunque hominibus impiis eveniunt.

Scilicet κακῶς ὀλέσθαι, *male ut peream.* Ita plenum & explicitum erat jusjurandum, quod tamen prioribus verbis erat incluſum. Uſum habere poſſet hæc obſervatio in iis, qui, repudiato jurejurando, non recuſant tamen Deum teſtem laudare; quod antiquiores Mennoniſtas feciſſe, iiſque merito

h) Euripid. v. 752.

Statutis Friſicis indultum ſcribit Ulricus Huberus non Juris- prudentiæ modo noſtræ ſed & Friſiæ ſuæ Decus, i) quando qui Deum citat teſtem, hoc ipſo percipit & aliis intelligendum præbet, ſe non invocare teſtem otioſum, ſed talem qui *vindicem habet oculum*, ex Heſiodi ſententia

i) Prælect. Jur. Rom. & Hod. ad tit. D. de Jurejur.

Ἔχει Θεὸς ἔκδικον ὄμμα.

Neque obſtat quod jusjurandum non ſolum promiſſorium, ſed aliquando affirmatorium dici poſſit: nam qui affirmationem jurejurando confirmat, promittit ſe vera reſpondere.

§. III. Eſt igitur caput hoc de jurejurando de eorum numero, quæ vel ex religione derivantur, vel eam ſupponunt. Quis enim ex animo jurabit, qui vel prorſus negat eſſe Deum, vel eum res humanas curare non admittit, quod morali æſtimatione idem eſt, & per utrumque omnis religio tollitur, & inter ludibria frœnandæ rudi plebeculæ rejicitur. Idcirco nulla capitalior humano generi peſtis contingere unquam poteſt, quam *naturam neſcire DEI.*

Hinc prima ſcelerum cauſa mortalibus agris. k)

k) Silius.

Notiones autem de Deo non omnibus æque ſunt evidentes, ac etſi ratione naturali inveſtigari poſſit, Deum eſſe, unum Deum eſſe, Deum nihil eſſe eorum quæ videntur, ſed his aliquid ſublimius: Id tamen ita capiendum eſt, non tamquam omnes id (primâ fortaſſe notione exceptâ) ſcire poſſe putandum ſit, niſi quoniam ratione naturali, quam proportionem habeat Sphæra ad Cylindrum invenit Archimedes, ex eo ſequi putant, quemlibet ex vulgo invenire poſſe. Ferme enim hic idem evenit, quod in Mathematicis ſolet, ubi quædam ſunt notitiæ primæ, aut primis proximæ, quædam demonſtrationes, quæ ſtatim & intelliguntur & conſenſum extorquent, quædam veriſſimæ quidem, ſed non omnibus patentes. Conſequens eſt, *jusjurandum concipi oportere eâ formula, qua utitur is, qui accipit.* Fruſtra enim jurejuran-

rejurando quis obſtringitur per Deum, quem non credit, ideoque nec metuit. Etſi enim lumine naturali intelligi poſſit eſſe Deum, nemo tamen ſe per illum putabit jurare alia formula, vel alio nomine, quam quod ſuæ ipſius, hoc eſt, ut exiſtimat is, qui jurat, veræ religionis ſcitis continetur. Bene & ſapienter Divus Pius jurejurando, quod propria ſuperſtitione juratum eſt, ſtandum reſcripſit. *L. Non erit juratum. 5. §. 1. D. de jurej* Cui non obſtat *§. 3. ejusd. legis, nec can. 10. qu. 1. Cauſ. 22.* Atque ita utimur. Compoſitis inter Ungariæ Regem Uladislaum & Amurathem controverſiis conventum eſt utrinque, ut in Evangelium Chriſtiani, Turcæ in Alcoranum jurarent. Helvetii de formula fœderis & jurisjurandi dandi accipiendiq; controverſiam habuerunt non levem: Tandem placuit, ut Catholici per Deum & Sanctos, Proteſtantes per Deum & ſacra Evangelia ſacramentum præſtarent. l) In Electione Ferdinandi II. Putlicius Legatus Brandenburgicus juravit: *Ita me Deus adjuvet per Chriſtum filium ipſius*, omiſſa S. *Evangelii* mentione. m) Apprime huc facit quod B. Auguſtinus ad Publicolam ſcribit & in *Concordantiam diſcordantium Canonum* retulit Gratianus *C. XXII. qu. 1. c. Movet. 16. qui utitur fide illius, quem conſtat juraſſe per falſos Deos & utitur non ad malam rem, ſed ad licitam & bonam, non peccato ejus ſe ſociat, quo per dæmonia juravit, ſed bono pacto ejus, quo fidem ſervavit.* Sic etiam cum Romani leguntur pacem ſocietatemque firmaſſe cum Judæis, intelligendi ſunt juraſſe per Deos falſos, ſicut & Judæi juraverant per Deum verum.

l) Waramund. ab Ehrenb. de fœder. p. 103.

m) Pufendorf. Hiſtor. Brandenb. Lib. VII §. 26

§. IV. Ceterum etſi in juramentis invocatio Divini Numinis ſit attemperanda ad perſuaſionem jurantis: tota tamen oratio ita formanda capiendaque eſt, prout intellexiſſe ſe eam profitetur is, à quo jusjurandum ſpecialiter delatum eſt. Vid. *L. 3. §. 4. L. 4. & 5. & L. 33. D. de jurejur.* Hujus enim præcipue cauſa, non jurantis, juratur. Unde ejusdem quo-

que eſt præſcribere verba juranda, & quidem quantum fieri poteſt planiſſime, ut liquido liqueat, quidnam jurari velit, & jurans adnuat ſe ſenſum jurandorum pulchre intelligere, ſic ut nulla fraus irrepere poſſit. Idque *ex animi ſui ſententia* jurare dicebant Romani. Grave dictum eſt Iſidori: *quacunque verborum arte quis juret, DEUS tamen, qui conſcientiæ teſtis eſt, ſic illud accipit, ſicut ille, cui juratur, intelligit.* Inde nequicquam perjurii infamiam effugiebant illi apud Tacitum H. IV. *trepidi & verba jurisjurandi per varias artes mutantes, quîs flagitii conſcientia inerat.* Vid. Puſendorf. *l. IV. de I. N. & G. c. 2. §. 12.*

§. V. Ut omnibus cavillis locus præcludatur, inſtitutum eſt, *ut ipſa verba Dei invocandi ſibique imprecandi liquido enuncientur.* Non deſunt quidem qui ſufficere putant in pactis publicis, ſi quis promiſerit ſe ſtaturum iis cum *clauſula loco jurisjurandi* n) quique *aſſeverationem per dignitatem & fidem Principis*, bey Verſprechung und Zuſage ihrer Fürſtl. Würden und wahren Worten *R. Imp. A. 1555. §.* Und da *48.* haberi poſſe loco jurisjurandi exiſtimant. Vid. *VVaram. de Ehrenb. de fœder. Part. II. n. 131.* Verum enim vero ratio docet, jurisjurandi vim conſiſtere in præſente metu divinæ juſtitiæ & omniſcientiæ, in concurſu mentis & linguæ, rationis & orationis, quæ præcipue, dum fit invocatio Numinis, intenditur. Eo momento idea ſummi Numinis in hominibus non obduratis mentem ſibi conſciam percellit majorem quendam in modum, & ſenſibus afficit intimis, penetratq; vi ſecreta, cujuſmodi nihil eſt in reputatione honoris. Ideo fœdus inter Athenienſes eorumque ſocios & Laconas percuſſum ita firmandum erat, ut quælibet civitas τὸν ἐπιχώριον ὅρκον *juramentum patrium ſeu domeſticum* juraret, idque τὸν μέγιστον ἐξ ἑκάστης πόλεως, *quod maximum in unaquaque civitate*, ſeu ἰσχυρότατον (ut Ulpianus ſcholiaſtes interpretatur) *fortiſſimum firmiſſimumq;.* Apud Ebræos juramenta, ut & vota, non cenſebantur obliga-

n) Vid. Beuſt. de jurej. Mynſing. cent. 1. obſ. 17. Coler. de proceſſ. execut. P. 1. c. 10. n. 239. Modeſtin. Piſtor. Conſ. 19. qu. 2. n. 47.

re

re, niſi verbis prolata eſſent. Vid. *Hugo Grotius ad Levit. V. 4 & Numeror. XXX. 3. Deuteronomii XXXIII, 23.* Multis tamen in locis conſuetudo obtinet, ut fides datis dextris, quod erat πίςις βεβαιωτάτη παρὰ τοῖς Πέρσαις, *firmiſſimum apud Perſas fidei vinculum*, aut alio aliquo ſigno obſtringatur câ vi, ut ni dictis ſtetur, promiſſor non minus deteſtabilis habeatur, quam ſi pejeraſſet. Imo ipſum fidei Symbolum erat apud antiquos duæ dextræ junctæ cum Mercurii Caducæo, aut ſerpente caudam mordicus arripiente circumdatæ. Inde in numis quibusdam veteribus videas in poſtica parte duas dexteras hoc ſcripto lemmate: FIDES EXERCITVVM, & Haraldicæ artis Magiſtri duas dexteras junctas FOI, FIDEM appellant. In *c. Ad aures. X. de his quævi metusve cauſa &c.* æquantur juramentum & fides interpoſita. *Gail. 2. O. 17. 53. 59.* Vid. tamen *Gonzalez Tellez ad c. 1. X. de pact. n. 15.*

§. VI. Cum, quæ in oculos incurrunt, animum quoque perfundere poſſint, pleræque gentes, ut juramenta ſolennibus quibusdam ceremoniis redderentur auguſtiora, adeoque reverentia Numinis juratori expreſſius ob oculos poneretur, externum quoddam ſignum aut alicujus rei contactum jurantibus addiderunt. Vnde non inutilis cautio habetur: *Solenne, quantum fieri poteſt, jusjurandum eſſe præſtandum.* Non inſubide Waramundus: *absque ſolenni juramento*, inquit, *alicui in fœderibus confidere, eſt piſcari in aëre & venari in medio maris.* Antiquitus fœdera ſolebant ſanciri pecude cæſa ex Dei & Abrahæ fœdere Geneſ. XV. fortaſſis deducto ritu. Hinc ipſa vox ſanciendi, ut recte Servio obſervatum, à ſanguine derivatur: & *fœdus percutere* loquendi modus Hebræis, Græcis, Latinisque pariter uſurpatus. Scytharum morem Pomponius Mela o) ſcite nobis depingit: *Ne fœdera quidem incruenta ſunt, ſauciant ſe qui paciſcuntur, exemtumque ſanguinem, ubi permiſcuere, deguſtant.* Solinus: p) *Hauſtu mutui ſanguinis non ſuo tantum more, ſed & Medorum*

o) de ſit. orb. l. 2. c. 5. p. m. 110. Add Lucian. in Toxari.

p) c. 20.

quoque

q) l. 1. *quoque uſurpata diſciplina.* Herodotus q) de Lydis & Medis: *ineunt autem*, inquit, *hæ Gentes fœdera, cum cetera ritu Græcorum, tum feriendo brachia, qua illa humeris connectuntur, ac*
* A. XII. 47. *mutuum ſanguinem delingendo.**Tacitus de fœdere inter Rhadamiſtum & Mithridatem: *adjicit jusjurandum, non ferro, non veneno vim allaturum: ſimul in lucum propinquum trahit proviſu ſuo* (ceu Lipſius legendum putat, cum in vulgato ſit *proviſum*) *illic ſacrificium imperatum dictitans, ut Diis teſtibus pax firmaretur. Mos eſt regibus quoties in ſocietatem coëant, implicare dextras, pollicesque inter ſe vincire, nodoque præſtringere. Mox ubi ſanguis in artus extremos ſe effuderit, levi ictu cruorem eliciunt, atque invicem lambunt.* Idem de Armeniis memoriæ prodidit Valerius l. IX. Et univerſe Tertullianus Apologetico: *Legite necubi relatum ſit, diffuſum brachiis ſanguinem ex alterutro deguſtatum, nationes quasdam fœderi comparaſſe. Neſcio quid & ſub Catilina deguſtatum eſt.* Atque
r) in Not. ad d. l. Taciti. eum morem ſuperiori ſeculo paſſim repertum ab Hiſpanis apud Barbaros claſſicus teſtis eſt J. Lipſius. s) Sed nec Romanis ipſis ignota cruenta potio, quæ *Aſſiratum* iis dicta, quoniam Aſſir, ſanguis, ut ajunt Gloſſæ. Etſi fortaſſe ea potio olim in ſacris. Singulares jurandi fœdusque firmandi rationes in pactione Turnum inter & Æneam de ſingulari certamine conſignavit Divinus Maro, tantaque verborum cura Princeps Poetarum omnem rei ſeriem deſcripſit, ut non legere ſe quis olim facta, ſed in rem præſentem deductus, totum apparatum coram oculis uſurpare arbitretur. Itaque, maxime cum jam cœpimus amoeniora innectere ſeverioribus, ſplendebit Diſſertatio loco egregio & appoſito:

Interea Reges
Procedunt caſtris: puráque in veſte ſacerdos
Setigeræ fœtum ſuis, intonſamq; bidentem
Attulit, admovitq́; pecus flagrantibus aris.
Illi ad ſurgentem converſi lumina Solem,

Dant fruges manibus ſalſas, & tempora ferro
Summa notant pecudum, pateriſque altaria libant.
Tum pius Æneas ſtricto ſic enſe precatur:
Eſto nunc Sol teſtis & hæc mihi terra precanti,
Quam propter tantos potui perferre labores:
Et Pater omnipotens, & tu Saturnia Juno;
Jam melior, jam Diva, precor: tuq; inclyte Mavors,
Cuncta tuo qui bella pater ſub Numine torques:
Fonteſque fluvioſque voco, quæque ætheris alti
Relligio, & quæ cæruleo ſunt numina ponto. *) *) Virg. XII. Æn. v. 161. & ſeqq.

Deinde ea, quæ ſupra jam allegavimus, s) excipiunt hi verſus: s) pag. 171.

Sic prior Æneas: ſequitur ſic deinde Latinus,
Suſpiciens cælum, tenditq; ad ſidera dextram:
Hæc eadem, Ænea, terram, mare, ſidera juro,
Latonæque genus duplex, Janumq; bifrontem,
Vimque Deûm infernam, & diri ſacraria Ditis:
Audiat hæc genitor, qui fœdera fulmine ſancit.
Tango aras, medioſque ignes, & numina teſtor:
Nulla dies pacem hanc Italis nec fœdera rumpet,
Quo res cunque cadent: nec me vis ulla volentem
Avertet: non, ſi tellurem effundat in undas
Diluvio miſcens; cælumve in Tartara ſolvat;
Ut ſceptrum hoc (dextrâ ſceptrum nam forte gerebat)
Nunquam fronde levi fundet virgulta nec umbras:
Cum ſemel in ſylvis imo de ſtirpe reciſum,
Matre caret, poſuitq; comas & brachia ferro;
Olim arbos, nunc artificis manus ære decoro
Incluſit, patribuſque dedit geſtare Latinis.
Talibus inter ſe firmabant fœdera dictis,
Conſpectu in medio procerum: *tum rite ſacratas*
In flammam jugulant pecudes, & viſcera vivis
Eripiunt, cumulantque oneratis lancibus aras.

 Carnu-

s) B. G. VII. 2. 2. Carnutes apud Julium Cæſarem, t) quoniam in præſentia obſidibus inter ſe cavere non poſſent, ne res efferatur, ut jurejurando ac fide ſanciatur, petunt, collatis ſignis militaribus, quo more eorum graviſſimæ ceremoniæ continentur. Chriſtiani olim jurabant in templis tacto ſepulchro alicujus Sancti, certis verbis recitatis. u) Huc pertinet illud Symmachi: x) *omnia quidem Deo plena ſunt; nec ullus perfidis tutus eſt locus; ſed plurimum valet ad metum delinquendi, etiam præſentia religionis urgeri.* Poſtea tactis aut propoſitis S. Evangeliis jurare cœperunt. Fœdus Gallico-Helveticum A. 1663. Lutetiæ ſolenni jurejurando & ceremoniis ſanctiſſimis firmatum legitur in *Theatro Europæo,* y) quod à Franciſco I. primum initum Anno ſuperioris ſeculi 82. itidem renovatum ſolenni tactis SStis Evangeliis à Rege coram Pagorum Delegatis in majori Lutetiæ templo, præſtito jurejurando, memorat Jac. Auguſtus Thuanus immortalis memoriæ vir. In formula pacis ad montes Pyrenæos inter Galliæ & Hiſpaniæ Reges initæ in extremis conceptis verbis cavetur: *Nomine eorundem Regum Plenipotentiarii receperunt, fore ut, poſt permutatas haſce ratihabitiones, Rex Chriſtianiſſimus quam primum coram eo iisve, quos Regi Catholico mittere libuerit, ſolemni ritu, per Crucem, Sancta Evangelia, Miſſæ Canonem, denique per decus & dignitatem ſuam palam juret, ſe omni ex parte obſervaturum, & adimpleturum ea omnia, quæ hocce inſtrumento continentur; idemque Rex Catholicus præſtet coram eo iisve, quos Regi Chriſtianiſſimo mittere libuerit.* Eâdem prorſus formulâ Pax Ryswicenſis cum Ibero firmata eſt. z) Id memorabile eſt, Prælatos non tangere Evangelia inter jurandum corporaliter, prout Seculares faciunt, ſed manus ad pectus admovere: id quod ex diplomate †) *translationis Delphinatus in Domum Regiam & Coronam Galliæ per Humbertum Delphinum Viennæ, facta Viennæ die ultima menſis Julii 1343.* liquido apparet. Item Aurea Bulla

u) Gregor. l. V. epiſt. 33.
x) l. 10. epiſt. 54.
y) Vol. IX. p. 1058. 1059.
z) art. 38.
†) Leibniz. dipl. 84. Add. Id. in præf.

Bulla †) cautum eſt, ut Electuri Romanum Regem *Principes Electores Eccleſiaſtici* coram Evangelio Beati Johannis: IN PRINCIPIO ERAT VERBVM, quod illuc ante ipſos poni debebit, *manus ſuas pectori cum reverentia ſupponant*; *ſecnlares* vero *Principes Electores*, dictum *Evangelium corporaliter manibus ſuis tangant*; qui omnes cum tota ipſorum familia tunc ibi debebunt inermes aſſiſtere. In formula hæc eſt invocatio Divina: *Sic me DEVS adjuvet & omnes ſancti.* Magnos Moſcoviæ Duces Tractatus Pacis & fœdera cum exteris Principibus per oſculationem Crucis confirmare ſupra diximus, & Joach. Hagemeierus *Juris publici Europæi de ſtatu regni Poloniæ & Imperii Moſcovitici Epiſt. VIII.* teſtatur. Turcarum Sultani ſolenne juramentum hoc eſſe ſolet, teſte Henrico Guntero Thulemario: *) *Ego juro & promitto per magnum Deum, qui cælum & terram creavit, per animas LXX. Prophetarum, per meam animam, per illam meorum Prædeceſſorum, me obſervaturum omnia capita fœderis & conſtitutæ amicitiæ in hunc usque diem, & illa ſacra & inviolata cuſtoditurum, quemadmodum ſignis meis declaravi.*

†) c. 2. §. 2.

*) Jur. Publ. Europ. Hagemeir. de Stat. Turc. Europ. Epiſt. XI.

§. VII. Tralatitium eſt, *ab ipſis paciſcentibus, ſi commode fieri poteſt, verba jurantia eſſe enuncianda.* Sane enim plus eſt, inter ſolemnes ritus, Numinis præſentiam non ſine ſacro quodam horrore exprimentes, Deum teſtem invocare, quàm id perituræ inſcribere chartæ, quæ non erubeſcit. Nec de nihilo eſt, quod D. Hadrianus Junio Rufino Proconſuli Macedoniæ reſcripſit, *teſtibus ſe, non teſtimoniis crediturum.* Verba epiſtolæ ad hanc partem pertinentia refert Calliſtratus *in §. 3. l. 3. D. de teſtibus.* Nec non Gabinio quoque Maximo idem Princeps in hæc verba reſcripſit: *Alia eſt auctoritas præſentium teſtium, alia teſtimoniorum, quæ recitari ſolent §. 4. d. l.* atque quæ ſcripto perhibentur ab-

ſentibus *teſtimonia cæca* vocantur. Vid. *L Wiſigothorum l. 2. tit. 4. c. 5.* Add. *H. Grot. Sp. Fl. ad J. Juſtin. ad d. L. 3. D. de teſtib.* Atque id, ſi fiat tactis Evangeliis aut inſpectis, aut in eorum præſentia manu ad pectus admotâ, ſublatâ aut protensâ, corporaliter *L. 1. C. Si adverſ. vendit. & L. 3. C. Si minor ſe maj. dix.* ſeu perſonaliter juramentum præſtare dictum eſt, ut ab juramentis per epiſtolam, aut in ſcriptis ſolummodo præſtitis diſtingueretur. Inde in vulgi paſſim ore **einen leiblichen/einen cörperlichen Eyd ſchweren** / Juriſconſulti Græci dixere item, eodem in ſenſu *σωματικῶς καὶ τῇ ἀληθείᾳ ὀμνύειν, corporaliter & reapſe* ſeu *veritate jurare*, a) ita diſcriminantes ab eo, quod erat, *ubi ἐνεγράφη τῷ συμβολαίῳ μόνον ὁ ὅρκος, inſcriptum eſt inſtrumento* ſeu *ſcriptis ſolum juramentum, ſeu inſtrumento per ſacramenti religionem*, (uti loquuntur Diocl. & Maxim. AA. & CC. *in d. L. 3. C. Si minor ſe maj. dix.*) *eſt adſeveratum.* In confraternitate Saxones inter & Cattos apud Limnæum cautũ eſt, **den Eyd durch Gevollmächtigte nicht / ſondern in Perſon abzulegen** / *ut jusjurandum non per procuratores, ſed ab ipſis paciſcentibus daretur.* Pacem ad *Pyrenæos* montes Ipſi Reges ſolemni jurejurando firmaverunt. Itaque ſicut jus paciſcendi penes Regem eſt in ſtatu vere regio, modo is non habeat jus impeditum, & in procerum aut populi imperio penes majorem partem, illic conſilii publici, hic civium ſententiæ dicendæ jus ex more habentium, ut pars major habeat jus integri & nomine univerſitatis obliget ſingulos, qui ſunt in ſocietate: Sic jus quoque pacta firmandi. Euripides Supplicibus:

Adraſtum hunc opus
Jurare: namque is jus habet regni potens,
Ut civitatem fœdere obſtringat ſuo.

Ubi ea Civitatis diſciplina eſt, ut plurima per Senatum agantur aut per populum, Senatus jurabit populusve, aut qui ad id ipſum deputati hactenus jus integri habere cenſentur.

a) *Βασιλικῶν* l. 10. tit. 25. §. 3. Harmenop. Prochir. l. 1. tit. 12.

§. VIII. Quid

§. VIII. Quid de iis Rebuspublicis dicemus, quæ à forma ſummæ poteſtatis ὑςέρα Ariſtotelii. e. *ſecunda claſſis ſive ordinis*, à Pufendorfio, b) diverſitati indicandæ à *regularibus* ſive πρωτέραις *prima claſſis* flexâ inprimis contemplatione ad ingenia hominum è naturali ſtatu exeuntium, c) *irregulares*, & vulgo *mixtæ* vocantur; quando inter unum & paucos vel omnes partitio ſummæ poteſtatis inſtituitur, ut v. g. quædam Rex ſolus, quædam cum Senatu poſſit, vel quædam Rex ſolus poſſit, quædam Senatus? In his Civitatibus uti ad paciſcendum cujusvis conſenſus requiritur pro ea parte, qua Regiminis particeps eſt: ita ad firmamenta pactis addenda. Sic in pacta A. 1658. inita à Republica Polonica cum Joanne Wihovvſcio Exercitus Zaporohenſis Duce juraverunt A. 1659. in Comitiis regni generalib⁹ ipſe Rex ſuo & Reip. nomine; Archiepiſc. Gneſnenſis ſuo & ſucceſſorum ſuorum, ut & totius Cleri Polonici nomine: Epiſcopus Cracovienſis ſuo & Cleri totius Regni nomine: Epiſcopus Wilnenſis ſuo & totius Cleri Lithuanici nomine. Duces exercituum: Cancellarii: Marſchalcus Ordinis Equeſtris ſuo & Nunciorum Terreſtrium ut & totius Nobilitatis Imperii Polonici nomine: tandem etiam Nuncii Exercituum Zaporohenſium ſuo & exercituum dictorum nomine. d) Pacta, quæ à loco ubi concluſa ſunt Welavienſia, à loco ubi confirmatio acceſſit Bidgoſtiana nuncupantur, jurejurando tam à Rege Poloniæ & Electore Brandenburgico, quam à Senatoribus Poloniæ firmabantur e) & quidem ab his tali formula: *Ego N. Senator Regni Poloniæ juro ſuper ſancta Dei Evangelia, quod pro poſſe curabo, ut pacta fœderis perpetui cum Ser. Principe ac Domino &c. per Commiſſarios S. Regiæ Mtis &c. obſerventur, nec iisdem à quopiam contraveniatur, utque in proximis comitiis omnia, quæ iisdem contenta ſunt, ratihabeantur.* Id jusjurandum poſtea ſcripto conceptum ab omnibus ſubſcriptum ſigillisque impreſſis munitum fuit.

b) l. VII. de J N. & G. c. 5

c) D. Hert. Elem. Prud. Civil. Part. I Sect. 2. §. 5. & Sect. 11. § 1.

d) Hartkn. de Rep. Polon. l. 2. c. 2. §. 4.

e) Pufendorf. Hiſt. Brandenb. l 6 § 83

Quid de ſubditis dicemus? In eodem jurejurando Electoris Brandenburgici promittit ille, *ſe ſubditos ſuos omnes Ducatus Pruſſiæ corporali juramento obſtricturum ad obſervantiam ſupradictorum & fœderis perpetui.* Hoc tamen ubi fit, non ſemper irregularem fieri Rempubl. alibi memorabimus.

§. IX. Quemadmodum abſentes per nuntium aut ſcripturam obligatione mutua vinciri poſſunt, niſi ubi civilia jura, quæ ad perſonas publicas nihil attinent, ſolemnes conceptiones & quandam velut verborum formam anxia ſolicitudine requirunt *L. 1. pr. ibique D. Gothofred. L. 5. §. 1. D. de V. O.* ita quin jusjurandum quoque vinculum obligationum hac in parte naturam principalis ſui ſequens *inter abſentes per litteras* aut *mandatarios in animam*, aut *per animam principalis* præſtari poſſit, nihil obſtare videtur, *L. 9. §. 6. L. 20. L. 23. L. 24. L. 25. L. 42. §. 2. D. de jurejur. cap. Nullum 3. de jur. cal. in 6.* Apud Livium pro fratre Ædili creato jurat frater L. Valerius Flaccus Prætor deſignatus, & plebs ſcivit, ut perinde eſſet, ac ſi ipſe Ædilis juraſſet. c) Fridericus Imperator & Henricus Rom. Rex pacem Conſtantiæ per Camerarium jurare fecerunt *§. Hanc igitur pacem.* In extremis fœderis inter Imperatorem Fridericum II. Regem Siciliæ & S. Ludovicum Regem Galliæ An. 1232. eſt: f) *Confœderationem præcepimus & injunximus jurandam, pro nobis & in anima noſtra, à dilecto familiari noſtro, Magiſtro Henrico Vener. Cathan. Electo, & Henrico de Aquisgran. Camerario, fidelibus noſtris.* Cum Iſabella Henrici Angliæ Regis III. Soror Friderico II. Cæſari desponſata eſſet, Legati eam circa rem Cæſarei Weſtmonaſterii confirmarunt *matrimonium in animam Imperatoris interpoſito juramento, offerentes ei ex parte ipſius Imperatoris annulum ſponſalem. Quem cum in ejus digito poſuiſſent pronunciaverunt eam Imperatricem eſſe Romani Imperii &c.* Idem patet ex Henrici literis ad ſororem ſuam Reginam Scotiæ apud

c) l. 31. §. 50.

f) Leibniz. C. J. G. dipl. 11

apud Joan. Seldenum. g) Habes plura exempla conventionum publicarum juramentis in animam principalis à procuratoribus interpoſitis firmatarum apud doctiſſimum Leibnizium. h) *Hæc* juramenta tamen tunc demum, poſtquam ſolenniter recitata fuere, perinde obligabunt, atque ſi coram ipſe mandans viva voce præſtitiſſet. Sed antequam recitata fuerint, revocari poſſe videntur: Sicut perjurus non ſit, qui adſeverationem ſuam juratam, antequam quo debeat perlata ſit, retractet. Illud tamen in conventionibus publicis non neceſſarium eſſe videtur, ut procuratores ita ſe componant, quaſi ipſi revera eſſent pro ſe juraturi, prout Legatos *E*lectorum ad electionem Regis Romanorum in ſuam ſimul & principalium animam jurare ſcribit Vir undiquaque ob inuſitatam eruditionem celebratiſſimus *Joh. Chriſtophorus Wagenſeilius* i) Almæ Altdorfinæ Univerſitatis perenne Decus, ibique quondam Præceptor & Hoſpes meus ſingulari amore & nequaquam tralatitio cultu proſequendus, hac fere verborum conceptione: Ich N. ſchwere in meine und deß N. von dem ich Gewalt habe / und geſchickt bin / Seele / *Ego juro in meam & illius, cujus ego mandatarius legatusque ſum, animam:* aut quod ex metu, ne ipſi forte obligari videantur, ultimam jurisjurandi formulam ſic immutare ſoleant: *ita Deus illum adjuvet.* Nam ſufficiebat ſimpliciter abſentis juramentum *de ſcripto recitari.* k) Quod autem quandoque in animam principalis eo præſente juratum eſt, l) id ex ſuperabundanti eſſe putamus, ac non facile niſi inferiori fit.

g) de Synedr. Hebr. c. II. ſ. 6. p. 850.
h) C. J. G. D. prodr. dipl. 5. & Tom. I. dipl. 4. dipl. 8. § 5. dipl. 11. §. 3. dipl. 15. §. 8. & 9. dipl. 21. §. 6. dipl. 72. §. 4.
i) Diſſert. de Reg. Roman.
k) Puſendorf de J N & G. l. 3. c. 8. §. 3.
l) Vid. Leibniz C. J G. D Tom. I. dipl. 23. §. 2. dipl. 25. §. 4. dipl. 26. dipl. 35. §. 2.

§. X. Porro cautionis loco fuit, *ut non principalis ſolum debitor juraret, ſed jurarent ſimul alii ex ejus, cujus res agitur, animi ſententia, in eadem, quæ ille verba: ipſius videlicet probitate & fide*

& fide conſiſi. Atque ii *Sacramentales* à Sacramento vocantur in Legibus *l. Feud. 4. §. 2. & tit. 10. 26. & 28. eod.* & à ſcriptoribus mediæ ætatis; item *juratores* plerumque in Lombardia. Conventio Ottonis IV. Henrici Leonis filii, Imperatoris, cum Theodorico Marchione Miſniæ A. 1212. firmabatur in hunc modum: m) *Ut autem hæc conventio firmius obſervetur pro eo & cum ipſo, & de ſua voluntate & mandato, ſimiliter data fide, promiſerunt & juraverunt Nobiles & homines ſui. Geverhardus de Quernvorde* & qui ibi enumerantur alii. In ordinata compoſitione ac pace inter Simonem Paderbornenſem Epiſcopum, & Conradum Colonienſem Archiepiſcopum nono Calend. Septembr. Anno Domini 1256 apud Schatenium n) talis eſt *Tenor aſſecurationis. Epiſcopus Paderb. fidem dabit, & juramentum preſtabit corporale, quod obſervabit ſupra dicta, videlicet formam ordinationis, compoſitionis & pacis. Prælati & Capitulum majoris Eccleſiæ Paderborn. & alii Clerici & nobil s* & *miniſteriales, qui ab Archiepiſcopo nominati fuerint, & quos Paderborn. habere poterit, fraude & dolo excluſis, poſtmodum fidem dabunt & jurabunt quod ipſi Dominum ſuum talem habebunt, quod ipſe formã ſupradictam conſervet inconvulſam*, ac in ſequenti articulo alio firmamenti genere interpoſito, ſequuntur hæc talia: *Dominus de Lipp. frater Domini Paderborn. & ejus primogenitus, & homines eorum duodecim, quos Dominus Archiepiſcopus viderit expedire, fidem dabunt & jurabunt, quod ipſi Dominum Paderborn. talem habebunt, quod formam ſupradictam obſervet*, & poſt quædam, quæ infra advocabimus, eſt: *Idem faciet Epiſcopus Monaſterienſis cum viginti quinque militibus nominandis. Idem faciet Comes de Rethberg, cum ſex quorum nomina ſunt Albertus de Mulede, Otto de Sindene, Ecbertus de Rockinhuſen, Henricus de Welde, Hugo de Kleicampe, Rotherus de Sindene. Dominus de Wolterge, Comes de Schovvenburg, Dominus de Hoya*, Otto

m) Mader. Antiquit. Brunsvv.

n) l. XI. Ann. Paderborn. p. 87.

ſa, Otto de Ravensberg, de Everſtene, & de Cigenhagen Comites, poſt quædam interjecta: *& ſinguli ſuper hys dabunt litteras ſuas patentes. Similiter Bremenſis dabit litteras patentes cum juramento.* Multa alia exempla brevitatis ſtudio omitto, ac lubens. o)

§. XI. Diximus de jurejurando liquido, ſupereſt ut de AFFINIBVS videamus. *Huc* pertinet l. inter Chriſtianos populos recepta EXCOMMVNICATIO, quam Canonici Juris conſulti cenſuram Eccleſiaſticam vocant, per quam homo Chriſtianus à communione Eccleſiæ ſeparatur. p) Metus adeo ab excomunicatione oriundus non minus eſt potentiæ divinæ, quam qui à jurejurando incutitur. *Hæc* enim cenſura inducta in Eccleſiam creditur tum ex poteſtate ligandi Eccleſiaſticis prælatis à Chriſto tradita, tum ex illis verbis *Matth. 18 v 17. ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus*, tum etiam ex facto Apoſtoli, qui *1. ad Timoth. 1. in fine* (add. *1. Corinth. V, 5.*) quosdam *Satanæ tradidit*: quem locum de excommunicatione interpretatus D. Auguſtinus *in c, omnis 32, Cauſ. XI. q. 3.* ait: *quia extra Eccleſiam diabolus eſt, ſicut in Eccleſia Chriſtus: ac per hoc quaſi diabolo traditur qui ab Eccleſiæ communione removetur.* Finis hujusmodi diſciplinæ erat, ut deſtituti ad tempus gratia & privilegiis *Eccleſiæ* ſpiritualibus, humiliarentur ad ſalutem. Effectus autem *quoad ſecularia* is erat, ut excommunicatus non modo cœtibus ſive Eccleſiis, & participatione Myſteriorum prohiberetur, ſed tamquam peſtilenti quodam ſidere afflatus, etiam pejor Ethnico, à ceteris Chriſtianis ſingulis fugeretur. Nam *cum Ethnicis commiſceri* permiſit Apoſtolus; cum his *ne cibum* quidem *una ſumere.* 1. Cor. V, 10 11. Quum ergo talis ſit *excommunicationis* effectus, etſi manifeſtum ſit, *Civitatem Chriſtianam non poſſe ex communicari*: (vid. *Hobbes* de Cive cap. 17. §. 26.) ob eminentem tamen Pontificis Romaniau-

o) Vid. Leibniz. C. J. G. D. paſſim. Confer. J. Schilter. ad tit. П de Jurej. §. 6.

p) P. Engel. Colleg. J. Can. l. V. t. 39 n. 27.

Add. §. 21. & 22. d. C.

ni auctoritatem, qua Vicarius Chriſti audit, qui Latina Sacra colunt, efficaciſſimo vinculo firmatas putabant conventiones publicas, ſi Pontificis Maximi cenſuræ ſubjiceretur, qui eas violare animum induxerit. In pactis initis inter Francos & Venetos AN. 1204. cautum erat: *Teneatur utraq; pars ad dandam operam bona fide, ut hoc à Domino Papa valeat impetrari, ut ſi aliquis contra hanc inſtitutionem ire tentaverit, ſit excommunicationis vinculo innodatus:* uti ex geſtis Innocentii III. à Bosqueto editis tranſcripſit Gonzalez Tellez *ad C. Ad decorem. quod eſt quintum X. de Inſtitut. n. 5.* In pace inter Archiep. Colon. & Episc. Paderborn. A. 1256. inita, cujus modò mentionem fecimus, inter alias *aſſecurationes*, (firmamenta nos dicimus) eſt: *Item dabunt Monaſterien. & Paderborn. Epiſcopi ad Dominum Papam & Legatum futurum patentes litteras conſentientes in ipſis, quod ſi Epiſcopus Paderborn. non obſervaverit compoſitionem, quod ipſe elegit ſe auctoritate Papæ excommunicatum ipſo facto, & quo Dominus Papa, & Legatus dent ſuper hoc executores, ſeu quascunque alias litteras, quarum auctoritate, monitione præmiſſa, excommunicatus denuncietur, & compellatur ad ſolutionem pecuniæ prædictæ* (ſtatuta erat pœna conventionis, de qua infra dicemus) *& ad obſervationem omnium prædictorum. Executores ſuper eo erunt de veteri monte, de Heſterbach, de Campis Abbates Ordinis Ciſtertienſium, vel duo ex iis.* Eccleſiaſtici, inquis, hi fuere, ſubditi Romano Præſuli. Nonne prius exemplum de Secularibus Principibus? Imo de his porro accipe hocce. In pace Bretigniaca A. 1360. 8. Maji q) *inter Principem Walliæ & Delphinem regnum Galliæ adminiſtrantem pro liberando Johanne Rege captivo* inita *ſe ſoulmettent les dits Rois & leurs hoirs & Royaumes à la correction de* [*noſtre Saint Pere le*] *Pape, afin qu'il puiſſe contraindre par ſentences, cenſures d' Egliſe & autres voyes deuës, celuy qui ſera rebelle, ſelon ce qu'il ſera raiſon, ſubjiciunt ſe dicti Reges,*

q) Art. 36. apud Leibniz. Tom. I. dipl. 95.

ges, heredesque & regna ſua correctioni Sancti Patris Noſtri Papæ, ut ſententia, cenſuris Eccleſiaſticis, omnique ratione legitimis in ordinem redigat refractarios, prout æquitas popoſcerit. Et in eodem tractatu correcto Caleti IV. d. Octobris ejusd. anni poſt interpoſitum ſuper Corpus JESU CHRISTI juramentum talis verborum conceptio eſt: r) *Obligeons nous nos biens preſens & advenir, nos hoirs & ſucceſſeurs* à la jurisdiction & cohertion de l' Egliſe de Rome, *& voulons & conſentons, que noſtre Sainct Pere le Pape conferme toutes les choſes en donnans monitions & mandemens generaux ſur l' accroiſſement d'icelles contre nous, nos hoirs & ſucceſſeurs, & contre nos ſujets, communes, colleges, univerſitez ou perſonnes ſeculieres quelconques, en donnant ſentences, * geneneraux deſtrument & ſuſpenſion & interdit pour eſtre encouruz par nous ou par eux pour celuy faict, ſi toſtque nous ou eux feront ou attenteront, en occupant fortereſſes, villes & chaſteaux & autres quelconques choſes; faiſant, ratifiant ou agreant, en donnant conſeil, faveur, conſors ou ayde, ſecretement ou en apert contre la dite paix; desquelles ſentences ils ne puiſſent eſtre abſouls jusques à ce qu'ils ayent faict plaine ſatisfaction à tous ceux qui par celuy faict auront ſouſtenu ou ſouſtendu dommage.* Id eſt: *Obligamus nos, bona noſtra præſentia & futura, heredesq. & ſucceſſores noſtros* jurisdictioni & coercitioni Eccleſiæ Romanæ, *volumusque & conſentimus, ut B. Pater noſter Papa omnia confirmet*, edictis *in eum finem* mandatisque *contra nos, heredes, ſucceſſoresque noſtros, contra ſubditos, communitates, collegia, univerſitates & perſonas ſeculares quascunque*, emiſſis, generalique, item ſuſpenſionis interdictique ſententia *fulminandis nobis iisve, ſimul ac nos iive propugnacula, urbes, arces, aut quamcunque rem aliam occupabunt, occupareque conabuntur, facto, voluntate, conſilio auxiliove clam palamve. Neque ab hisce ſententiis abſolutio eſto, usque donec omnibus, quibus*

r) §. 4. apud Leibniz dipl. 96.

bus damni aliquid apportatum eſt, plane ſatisfactum ſit. Quin & omnes conventiones præcedentes huic pacto contrarias etiam jurejurando firmatas, ut infirmas, irritas, caſſasque eſſe declaret, Pontifex Maximus enixe rogatur. s) In fœdere ad Stapulas ſupra mare inter Galliæ & Angliæ Reges 3. Nov. 1492. t) *Et inſuper uterque Principum prædictorum infra terminum prædictum inſtanter & cum effectu requiret Sacroſanctam Sedem Apoſtolicam & Summum Pontificem, quod ferat ſententiam excommunicationis nunc pro tunc & tunc pro nunc in eum ex prædictis duobus Principibus, qui omnia & ſingula capitula in præſenti tractatu contenta, quatenus ipſum concernunt, non obſervaverit; præter & ultra ſententiam interdicti, in ejus regna, patrias, terras & dominia, non obſtante aliquo privilegio in genere vel in ſpecie, illis aut eorum alteri, ſub quacunque verborum ſerie concepto, cui dicti Principes palam & publice renunciant & expreſſe.* Atque ita viſa eſt ad omnes extendi jurisdictio, ut etiam conveniret, *ne jurisjurandi relaxatio ab Aula Romana peteretur.* Et fatendum eſt interdum Pontificum Romanorum curam profuiſſe ad retinendos in fide homines, dum illi Reges opportune, importune obtundentes, ſive auctoritate muneris, ſive metu cenſurarum Eccleſiaſticarum, multa mala averruncabant; ſed, uti in corruptionem proclives ſunt res hominum etiam optimæ, nimis cœpere ſibi tribuere Pontifices, & poteſtate uti licentius. Vide, ſi vacat, ea quæ diſſerit doctiſſimus Leibnizius *in præfatione Codicis juris Gentium Diplomatici*, u) cedro digna ſcombrosque minime metuentia.

s) §. 5.

t) Art. 28. Leibniz. diſp. 201.

u) §. Sed ut hæc ſupervacuæ.

Quod II. ad DIRAS EXECRATIONESQVE attinet, earum exempla inſignia ex variis monumentis, ſed diplomatis potiſſimum Regum, Principum, Comitum, & chartis Epiſcoporum, Abbatum, privatorum circa donationes, fundationes beneficiorum, ultimas voluntates & nego-

tia ſimilia, ex auctoribus pro ſerie temporum retulit eruditiſſimus Mabillonius *II. de Re diplomatica c. VIII. & IX.* Singularis quibusdam videbitur Bonifacii Moguntini Epiſcopi in ſe ipſum prolata imprecatio in ſacramento quod Gregorio II. præſtitit ſub hac clauſula: x) *Quod ſi (quod abſit) contra hujus promiſſionis meæ ſeriem aliquid facere quolibet modo ſeu ingenio vel occaſione tentavero, reus inveniar in æterno judicio, ultionem Ananiæ & Saphiræ incurram, qui vobis etiam de rebus propriis fraudem facere præſumſerim.* Relata eſt hæc profesſio inter formulas *Diurni Romani,* y) in quo item Romanus Pontifex anathemati ſe ipſe ſubjicit, *ſi quis umquam*, ait, *ſeu nos, ſive alius aliquid præſumat contra Evangelicam traditionem.* At graviſſima eſt Arnulfi Rhemenſis Archiepiſcopi imprecatio in ſe ipſum apud Mabillonium, nempe in ſacramento fidelitatis facto Hugoni & Rotberto Francorum Regibus: à quo ſi deviaverit, *omnis benedictio mea*, inquit, *convertatur in maledictionem, & fiant dies mei pauci, & Epiſcopatum meum accipiat alter; recedant à me amici mei, ſintque perpetuo inimici.* Obſervanda ſolemnis illa Procerum Hiſpaniæ de ſocietate ac συμμαχίᾳ ineunda imprecatio, in qua præibat pater patratus & demum, *ſi prior defecero*, inquit, *certo conſilio, illo die vos Superi corpus in hoc ſeculo, in futuro animam diris cruciatibus mactate: vires verbaque deficiant facite: in pugna equus, arma, calcaria, ſubditi, cum opus eſſet maxime.* Id ubi dixit, ſocii ſubjiciebant, AMEN. *Nonnunquam etiam DIVINAM HOSTIAM diviſam in duas partes, uterque ſociorum libabat. Addebantur exſecrationes.* Hoc erat, inquit Joh. Mariana z) ſanctiſſimum jungendæ inter proceres ſocietatis pignus, ritusque. *Hunc* tamen ritum non probari à Theologis ſcribit Waramundus ab Erenberg *) cum in hunc uſum & finẽ non ſit inſtituta Domini Cœna. Idem ſentit doctiſſimus JCtus Nic. Chriſtoph Lynckerus, a) licet id à Paſchali II. factũ eſſe teſtetur Sigebertus

x) Sect. III. Bened. part I p. 37. & alibi.

y) P. 69.

z) de Reb. Hiſp. l. 15, 18

*) de fœ ler.

a) Diſſert. de eo quod juſtum eſt circa S. Cœnam c. 6. §. 5.

in Chron. ad ann. Ch. MCXI. cum pacem cum Imperatore *Henrico* V. confirmaret, dum Idibus Aprilis in celebratione Miſſæ traderet ei corpus Domini & Dei noſtri JESU CHRISTI: *Domine Imperator*, inquiens, *Hoc corpus Domini natum ex Maria Virgine, paſſum in cruce pro nobis, ſicut Sancta & Apoſtolica tenet Eccleſia, damus Tibi in confirmationem veræ pacis inter me & te.* Non enim debemus attendere ſolummodo, ait laudatus JCtus, quid Romæ factum ſit, ſed potius, quid ſit faciendum. Nec exemplis eſt judicandum, aut quicquam probandum. c) V. aliud exemp. ap. Bodin. V de Rep.

b) L. 12. D. de off. Præſ. c 1-. X. de Elect.
c) L. 13 C. de ſent. interl. omn. jud. L. 1 §. 6. C. de J. V. 8. arg. §. f. J. de Satisd. Berlich. P. III concl. 21. n. 6 Richter. ad Auth. Habita. Diſp. 5. p. 104. n 2.

CAPUT VIII.

DE OBSIDIBVS.

SVMMARIVM.

§. I. Conventiones publicas ipſo ſidei vinculo arctius *ob metum potentiæ humanæ in perſonis* adſtricto firmant OBSIDES. ETYMOLOGIA, DESCRIPTIO, SYNONYMIA, ORIGO, FINIS *ſecuritas.*

§. II. CAUSA EFFICIENS. SUBJECTUM. In familiis ſegregibus liberi, ſervi; In rebusp. cives, etiam Clerici, (an vaſalli?) impuberes, feminæ, regum liberi.

§. III. CAUTIO *I. ut delectus habeatur.*

§. IV. CAVTIO *II. ut defunctis alii ſuccenturientur.*

§. V. FORMA. *Obliga.i.*. Vbi diſtinguitur.

§. VI. CAVTIO III. *ut formulis pacti ſanciatur, qui habendi ſint.*

§. VII. CAVTIO *IV.* ſed ABVNDANS, *conditio de non fugiendo.*

§. VIII. CAVTIO V. *ne retineantur in aliam cauſam.*

§. IX. AFFINIA, OBSTAGIUM,

§. X. OBLIGATIO DE REDITV IN CARCEREM.

§. I. Cum

§. I.

CVM jusjurandum ad iram Dei omnipotentis & omniſcii provocandam comparatum ſit firmandis conventionibus eorum, qui vel potentiæ fiducia vel ſpe celandæ perfidiæ, eas ludum jocumque habent; apparet, qui juramentum exigit, ubi neque violatio pactorum, ſi qua fiat, latere poteſt, neque ei, cui fit ſponſio, deeſt facultas jus ſuum efficaciter tuendi, cum facere amplius aliquid, quam ad ſecuritatem ſit neceſſe; magisque adeo cupere, ut alteri male, quam ut ſibi bene ſit. Præterea tametſi Supremo Numini imperium in cunctos mortales irreſiſtibilis ejus potentia tribuat, isque ſolus cum corpore animam ſempiternis cruciatibus ſuppliciisque mancipare poſſit, multi tamen præſente metu damni à potentia humana inferendi magis in officio continentur, ſeu pravo affectu, quod inter Principes unum verum & proprium fidei firmamentum habeatur neceſſitas (magnum potentibus Numen) & periculum ſtatus & communicatio utilitatis, a) ſive quod plerique, quæ ante pedes modo ſunt, pervident, minimeque conſulunt in longitudinem. a) B. Verulam de Sap. Vett. c. 15.
Quibusdam inſanientis ſapientiæ pertinax ſtudium, aliis abſurda Divinæ bonitatis opinio perfidiæ cauſa fuit incitamentumque. Certe multi inveniuntur Lacedæmoniis ſimiles, c) c) Ariſtoph. Acharn.

οἷσιν οὔτε βωμὸς, οὔτε πίςις, οὔθ᾽ ὅρκος μένει,

Queis nec ara, nec fides, nec ulla firma pactio eſt.

Inde *obſides*, obſidibusque affinia *obſtagia*; *& obligatio redeundi in carcerem.* Obſides dari accipique ſolent, ubi nuda fide non ſatis proſpectum nobis videtur, ſc. ut a pacto violando metu cohibeatur alter, ne in illos crudeliter conſulatur, quos in poteſtate noſtra permiſit atque collocavit. d) *Id unum pignus*, inquit Livius, e) *inclinatos ad Romanam ſocietatem*

d) IV. Reg. XIV. 14. II. Paralip. XXV. 24. c. Supplicitet. 15. C. XXIII. 8.

e) 22. 22.

cietatem omnium Hiſpaniæ populorum animos morabatur, ne ſanguine liberûm ſuorum culpa defectionis lueretur. Dantur

f) l. 5. εἰς ἀσφάλειαν πίστεως ait Herodianus, f) *firmandis induciis* Pro-

h) Conſt. de P.P. ap. Goldaſt. T. 2. Conſt. Imp. p. 20. copius, *propter credentias* Ludovicus Pius h) imperator; dicunturque juxta Feſtum Pompejum obſides quaſi *obfides*, id eſt, ob fidem dati. Heſychius *in lexico*. οἱ ἕνεκεν εἰρήνης διδόμενοι ἐνεχυραζόμενοι. *Obſides ſunt, qui pacis*, addo & aliarum conventionum publicarum *cauſa dati ſunt, oppignerati.* Τὰ ὅμηρα, pignora. *Arrhabonem* dixit Q. Claudius Quadriga-

i) N.A. 17. 2. rius apud A. Gellium i) DC. obſides: & id maluit quam pignus dicere: quoniam vis hujus vocabuli in ea ſententia gravior acriorque eſt. Germani præter vocabulum Geiſſel etiam appellatione Pfandſmann utuntur. Belle vocum origo, cum rei ipſius fonte convenit, qui ipſe porro non alius eſt atq;

k) Vid. L. 4. §. 8. D. de fideicomm. libert. L. 21. §. ult. D. de conſtit. pec. pignorum. k) Sed de obſidibus diligentius nihil videtur præcipi poſſe, quam à Johanne Schiltero Argentoratenſis univerſatis ſolido ornamento dictum eſt, integra *de jure & ſtatu obſidum* commentatione, quæ nove ejusdem *Praxi Juris Romani in foro Germanico* inſerta eſt, nonnullis in locis aucta.

l) de R. R. l. 8. c. 1. Quare, quod Columellæ l) verbis effero, *ne attentanda quidem nobis fuit hæc diſputationis materia, niſi quod conſummatio ſuſceptæ profeſſionis hanc quoque ſui partem deſiderabat, ne univerſitas inchoati operis noſtri velut membro aliquo reciſo mutila atque imperfecta conſpiceretur.* Dantur itaque cum dantis gratia, ut is facilius fidem ſibi conciliet, tum vero accipientis potiſſimum, *ut ſecuritas eo major ſit creditoris.* Inde dantur vel ab una duntaxat, vel ab utraque parte. Hoc fit

n) Pet. Bellin. de re milit. P. X. n. 8. & Amelot de la Houſſaye diſcours hiſtorique. quando vel utriusq; æque inter eſt pactis ſtari, vel in utroque par nocendi facultas, vel denique in bello, quando non liquido liquet, bona fide agatur, an dolo & malis artibus. Illud vero contingere ſolet, quando pars viribus inferior ad paciſcendum durioribus conditionibus adigitur. n) Nos tamen

plane

plane negamus obſidum dationem ullum honorem alteri per ſe adjicere: ſecuritati quippe accipientis potiſſimum conſulitur, niſi circumſtantiæ aliud oſtendant. o) Id ſingulare eſt, quod in ſacris REGIS CHRISTIANISSIMI Inaugurationis ſolennibusque ceremoniis pro Ampullæ Rhemenſis uſu obſides datos libelli, cui *Notitia Galliæ* p) titulus eſt, Auctor in litteras retulit. Cui rei nec addere fidem, nec demere in præſentia animus eſt. Eſt enim alterius inſpectionis.

o) D. Hert. Diſſ. de litter. commeat. pro pac. §. 17.

p) l'Etat de la France de l'an 1698.

II. Obſides dantur aut ſua voluntate, aut ejus eorumve, qui poteſtatem imperiumve habent: in familiis ſegregibus à Patribusfamilias liberi, ſervi; in civitatibus à Rectoribus civitatis CIVES. Nam inſummo civili imperio comprehenditur & jus in actiones ſubditorum, ut in bona. q) Conſociatio enim, qua multi Patres familiarum in unum populum ac civitatem coeunt, maximum dat jus corpori in partes: quia hæc perfectiſſima eſt ſocietas: neque ulla eſt actio hominis externa, quæ non ad hanc ſocietatem aut per ſe ſpectet, aut ex circumſtantiis ſpectare poſſit. r)

q) Grot. d. J. B. P. l 3 c. 20 §. 52. Add. id. l. 2. c. 25. § 3.

r) Id. l2. c. 5. §. 23. Add. l. 3 c. 2. §. 1. & ſeqq.

N. 2. CLERICUM tantum hic excipiendum exiſtimat Petrus Bellinus, additque, qui invitum retinet, cadere eum in pœnam canonis *Si quis ſuadente diabolo c. XVII. qu. 4.* At abſonum valde eſt in Republ. eſſe quemque, qui majeſtatem habenti non ſubſit, ac quod Pontifici Max. ſoli datum eſſe putat, ut clericos obſides det, uti poſitum eſt, admitti non debet. Neque enim minor alii Principum quam Papæ circa hæc talia eſt poteſtas, etſi vel maxime ad jus ſacrorum id quis referat. Id enim etiam ex ipſa Majeſtatis natura Principi competit. Ac licet fortaſſe eos ſpecialis quædam lex eximat; ea tamen lex ut omnes ejus generis cum ſummæ neceſſitatis exceptione, qua de judicare penes eum eſt, cujus in manu respubl. eſt, intelligi debet. Conſecutio etiam Lu-

s) de re milit. P. XI. n. 22.

dovici Romani, quod, cum clerici fide juſſores eſſe non poſſint *cap. primo & pen. de fidei.* multo minus ut vades & obſides in carcerem compingi & detineri debeant, ex privati juris regulis ad cauſas publicas & populorum conventiones juncea eſt. Niſi quis dicere velit, hanc partem ſupremæ poteſtatis uſu, aut tamquam rei pro derelicto habitæ occupatione competere alicubi ſacro ordini, ejusque capiti præſuli Romano.

N. 3. In VASALLUM Jus hoc Senior non habet. Neque enim reverentia & fidelitas hucuſque pertingunt, niſi id inveſtituræ literis comprehenſum & ſummæ poteſtatis conſenſus accedat: a) poſſe verò id inveſtituræ literis contineri docet lctiſſimus Cujacius: b) aut niſi in regnis regionibusque, quæ incolas omnes in ſubditorum numero habent; in quibus adeo vaſalli in iis habitantes non tantum *fidelitatem* getreu/gewärtig/und dienſthafftig zu ſeyn jurant, quod alias vaſallorum tantum eſt, ſed etiam *obedientiam* Gehorſam/ id quod excedit nexum mere feudalem atq; ſubdititiam conditionem indicat; ut hodie in multis regnis atque in Auſtriacis ditionibus, c) in Saxonia, Pomerania., & alibi. Vide Gailium, e) Mevium, f) Carpzovium. g)

a) H Grot de J. B. & P. l. 3. c. 20. §. 52.
b) ad lib. 2. F. t. 7.
c) Inſtr. pacis Oſnabr. art. 4. §. 52.
e) de Arreſt. c. 7. n. 10 & ſeq.
f) P. II. D. 315. conſ. IV. D. 33. n. 8.
g) l. 4. R. 76.

N. 4. Nec *ætatis*, nec *ſexus*, nec *dignitatis* rationem haberi memorant hiſtoriæ. Nec mirum. Pari quippe patriæ omnes jure tenentur. Sic obſides ſolitos dari etiam PUEROS, ut à Parthis & à Simone Macchabæor. uno, h) & FEMINAS legimus, & has quidem tanto magis, quod mala quævis longe impatientius quædam gentes feminarum ſuarum nomine timeant. Quod de priſcis Germanis memoriæ prodidit C. Tacitus, i) *adeo ut efficacius obligentur animi civitatum, quibus inter obſides puellæ quoque nobiles imperantur.* Igitur ad Germanos referam quod generatim à Suetonio ſcriptum, k) *à quibusdam novum genus obſidum feminas exigere tentavit, quod negligere marium pignora ſciebat.* Etſi cur id Tranquil. novum

h) Macch. XIII. 76.
i) de mor. Germ. c. 2.
k) In Auguſt. c. 21.

vum? Romani ipſi virgines obſides Porſenæ olim dederunt, interque eas Clœliam Athenæus id primum inventum Cleonymo Spartano vult, parum verè: l) Ἐμοὶ inquit, κατὰ φύσιν δοκεῖ, πεποιηκέναι ὁ Κλεώνυμος ὁ Σπαρτιάτης, πρῶτος ἀνθρώπων εἰς ὁμηρίαν λαβὼν παρὰ Μεταποντίνων γυναῖκας παρθένους τὰς ἐνδοξοτάτας καὶ καλλίστας διακοσίας. id eſt: *Mihi juxta naturam feciſſe Cleonymus Spartanus videtur, qui primus mortalium* (magis rectè ſi primus Græcorum dixiſſet) *obſides à Metapontinis feminas virgines accepit nobiliſſimas & pulcherimas ducentas.* Ubi diſcis Metapontinos, imo credo ceteros Italiæ populos habuiſſe antiquitus hunc morem.

N. 5. Illud quaſi conſuetudine receptum tradit Sichardus, m) ut REGUM LIBERI obſides darentur. Ratio non obſcura eſt, quia cum illis non ſolum fides, ſed & affectus tenerrimi ac neceſſitudines, quin & viſcera ipſa ac claſſibus & legionibus firmiora imperii munimenta n) pignerantur. Demetrius Philippi Macedonum Regis filius Romæ obſes fuit. o) Item Antiochus. p) Phrahates Parthorum rex partē prolis firmandæ amicitiæ quatuor filios, ſi Straboni q) credimus, Saraspadem, Ceraspadem, Phraatem & Vononem & eorum uxores duas cum filiis item quatuor miſit Romam. r) Vologeſes Corbuloni dat obſides nobiliſſimos ex familia Arſacidarum: s) Crantorem Peleo Amyntor: Cleomenes Spartarum Rex Ptolomæo Ægyptio liberos ſuos & matrem Crateſicleam: a) Darius Alexandro M. Ochum filium ac Mithridatem Ariobarzani filium quadrimulum: b) Warocus Chilpetico filium. c) Joannes Palæologus, Calo Joannes alias dictus, Amurathi Turcarum Regi Theodorum filium minimum natu d) Imperat. Fridericus II. Gregor. Papæ Conradum natu minorem filium tanquā reconciliatæ fidei obſidem obtuliſſe ſcribit Carolus Sigonius: e) Carolus II. Galliarum Rex Jacobo Arragoniæ Regi tres filios Ludovicum, Robertum & Joannem Principem Moreæ; f) Franciſcus I.

l) L. XIII. c. 27.

m) ad rub. tit. C. de patrib. qui fil. n. 9.

n) Tacit. H. 4. 52. 2.

o) Iuſtin. l. 32 6. 2.

p) Id.

q) l. XVI.

r) Tac. Ann.

s) Id. A. 13.

t Ovid l. 13. Metamorph.

a) Plutarch. in Cleom.

b) App. de bell. Mithrid

c) Aimon. l. 3 c 25.

d) D. Wagenſeil. Per locul Hiſtor.

e) de regn. Italiæ lib. 7.

f) Collenut. hiſt. Neapol Brautlach. Conſ. 2. n. 1.

Rex Carolo V. Imperatori obſides reliquit in Hiſpania filios
g) Sleidan. l. VI p. 147. duos Franciſcum & Henricum Aurelianum valde parvulos. g)
videri poſſunt exempla alia apud Heringium. h) Quid enim?
h) cap 10 de fidejuſſ. non patrio tantum jure, quo & oppignorare & vendere libe-
ros neceſſitate urgente jure naturali licet, quin & civili quon-
i) l 2 de patr. qui fil. Add. Dattii Diatrib. de Vendit. liberor. dam licuit, hodieq; aliquando licet, i) ſed & regio hoc eſt ſum-
mo imperant liberis Reges, neque iis alia, dum ſuperant
parentes, quam obſequii gloria relicta eſt, plane uti civibus
aliis.

§. III. *Etſi* verò juſta ſit collectio; L. Titius & Sem-
pronia ſubditi ſunt Reipubl. ergo obſides mitti poſſunt: pro-
fundior tamen prudentia ſuadet: *ut delectus habeatur.*
Parum enim firmamenti afferent, qui domi ſuæ flocci fiunt.
Hinc alicubi Regum liberi expetiti: hinc feminæ, ſeu quod
marium pignora negligerentur, uti ex Tranquillo docuimus,
ſive quod majus deſiderium eſſe, ſexus mollioris. Conſan-
guinitatis jure propinquos extraneis; honeſtos vilioribus; ho-
noribus perfunctos privatis quis non anteferet? Eteocles E-
phorus Antipatro obſides petenti ephebos, malle ſe ſeniores
dare, inquit, & feminas, ne juniores exutis moribus patriis pe-
k) Ærod. l. 3. rer. jur. regrinos inducerẽt. k) Cloelia optione ſibi data à Porſena, quos
vellet, legeret, productis omnibus elegiſſe impuberes dici-
tur: quod & virginitati decorum, & conſenſu obſidum ipſo-
rum probabile erat, eam ætatẽ potiſſimum liberari ab hoſte,
quæ maximè opportuna injuriæ eſſet. l) Pontius filius apud
l) Liv. l. 2, c. 14. Appianum: τῶν τε ὑππέων τοὺς ἐπιφανεστάτους ἐπιλέξομαι ὅμηρα τῶν συνθη-
κῶν, *equitum potiſſimos deligam, qui obſides ſint.* Romani in-
ter conditiones pacis Ætolis præſcripſerunt, *obſides XL.*
arbitrat. Cos. Rom. dato, ne minores XII. annor.
neu majores XL obſes ne eſto Prætor: Præfectus
equitum:

equitum: Scriba publicus: neu quis qui ante obſes fuerit apud P. R. m) In conventione Bretigniaca n) obſides dati plurimi ſplendidiſſimo loco viri, quidam ſanguine regio creti, poſtremo quatuor almæ Pariſienſis urbis & duo ex undeviginti regni urbibus matricibus cives primarii, *les plus ſuffiſſants des villes.* Quomodo *in numero* obſidum pro ratione temporis variatum ſit omnis ævi hiſtoria oſtendit. Exempla aliquam multa congeſſit Ant. Heringius. o)

m) Add Her. de fidei c. 10. n. 255 & 286
n) Art. 15. & 16.
o) de fide uſſ. c. 9. n. 43 46. & c. 10. nu. 289. & ſeqq.

§. IV Cautio altera eſt, *ut defunctis, dimiſſis & quocunq; modo abſentibus alii ſubſtituantur*, quod *excontrare* barbare vocant ab *excontro.* a) Idq; ſæpe placuit. In laudata conventione Otto. IV. Imp. cum Theod. March. Miſniæ, A 1212. apud Maderũa.) ita cautũ eſt: *Prædictos obſides tenebit dominus Imperator à proximo Paſcha uſque ad biennium, & tunc ipſos Marchioni reſtituat, ita tamen quod tunc patres obſidum & alii miniſteriales Marchionis æque idonei, & totidem numero promittant, & jurabunt, ſecundum quod ſupradicti tam infeudati, quam miniſteriales Marchionis promiſerunt & juraverunt. Si vero aliquis denominatorum obſidum, vel morte interveniente vel aliquo caſu alio, domino Imperatori dari non poſſet alius æque idoneus domino Imperatori dabitur loco illius, omnibus aliis in ſuo vigore permanentibus.*

a) D. Schilter de Jur obſid. c. 10. n. 10.
a) Antiqu. Brunſvv. p. 172. & 128

§. V. De obligatione obſidum, & quidnam in eos liceat, ſi non ſervatum ſit id, cujus cauſa dati fuêre, perplexa ſatis tractatio eſt. Eam commodiſſime hac ratione expediri poſſe cum Pufendorfio a) exiſtimamus, ſi accurato diſcrimine ſeparetur id, quid ipſi citra injuriam pati queant, & quid ex lege naturæ recte ipſis inferatur. Cum enim ejuſmodi pactionibus firmandis adjiciantur, quibus violatis ad arma itur, liquido liquet, ruptis pactis obſides non minus, ac totam cui parent civitatem hoſtium loco haberi, in quos ſævire in infinitum

a) Juriſpr. univerſ. l. 1. Def. 12. § 44

nitum licet, ſaltem quantum ad effectum juris id impedientis in hoſtibus. Dum enim hoſtes fiunt, nulla inter ipſos & læſum juris communio eſt, quo minus ab eo ultima quæque experiantur. Hoc jure belli fieri Florus b) ait, jure delicatiſſimo militiæ Alb. Gentilis. c) Quid? quod ſatis apparet in traditione obſidum hoc actum fuiſſe: *Tradimus hoſce in manus veſtras, tamquam cariſſimam noſtræ civitatis partem, ut niſi ſervaverimus, quæ convenere, nulli deprecemur, quo minus inferatis quidquid placuerit.* d) In eundem fere ſenſum Poſtumius apud Livium: *Samnitibus ſponſores nos ſumus, rei ſatis locupletes in id, quod præſtare poſſumus, corpora noſtra & animos. In hæc ſæviant, in hæc ferrum, in hæc iras acuant.* In conventione Ottonis IV. Henrici Leonis filii Imperatoris cum Theodorico Marchione Miſniæ An. 1212. e) ita cautum eſt: *quod ſi Marchio, quemadmodum promiſſum & juratum eſt, quod abſit, non obſervaverit, liberam habebit Dominus Imperator facultatem de obſidibus faciendi, quod ei placuerit, & erunt in eo ſtatu, qui vulgo* vergieſelt *dicitur.* Apud Cominæum Leodii obſides Carolo Burgundo dederant, ut ſi contra pacta facerent, integrum eſſet ipſi ſupplicium de illis ſumere. f) Idque ſæpe uſurpatum eſt. A Theſſalis occiſi olim ducenti quinquaginta, â Romanis Volſci Aurunci ad trecentos. i) Nec intra cuſtodiam duntaxat hæc licentia continetur. Hanc enim laxiorem anguſtioremve, prout viſum fuerit illi, cujus in poteſtatem traditi ſunt, etiam quando pactis ſtatur, eo ipſo dum traduntur ſubeunt. Adeoque proculcata fide ad cruciatus quoque & cædem obſidum procedi poterit. Sic etiam cum ab utraque paciſcentium parte obſides dati ſunt, ſi quid ab alterutra parte petulantius crudeliusque conſultum eſt, citra injuriam alter idem in eos ſtatuet: idque ex nudo belli, non aliquo talionis jure, etſi ad hoc communiter fere in ejusmodi factis provocari moris ſit, evitandæ inter ho-

b) 3. 21. 28.
c) l. 2. de J. B. c. 19.
d) Hering. de Fidejuſſ. c. 10. n. 283.
e) Mader. Antiqu. Brunsvv. p. 127. & 128.
f) Comin.
i) Add. Clau. Coter. de jur. & priv. mil. l. 2. c. 3. in oc. jur. T. XVI. & Hering. de fidejuſſ. c. 20. n. 59. & ſeqq.

ter homines famæ ſævitici. k) Nec in bello juſto admittendum eſt ſimpliciter quod dicitur, l)

Omnia dat, qui juſta negat.

Melius Cicero: *Sunt quædam officia etiam adverſus eos ſervanda à quibus injuriam acceperis. Eſt enim ulciſcendi & puniendi modus.* Deinde non plus exigendum, quam aut fert debiti modus, aut cauſa periculi evitandi ſive ſecuritas expoſcit. Atque ideo Divitiacus Æduus Arioviſtum Regem Germanorum, quod in obſides omnia exempla cruciatuum ediderit, in oratione ad J. Cæſarem l) dicit hominem eſſe *barbarum, iracundum, temerarium*; Narſetique bono duci atrox viſum de innoxiis obſidibus ſupplicium ſumere narrat Agathias: m) de aliis alii: etiam Scipionis exemplo, qui ajebat, ſe non in obſides innoxios, ſed in ipſos qui defeciſſent ſæviturum: nec ab inermi ſed ab armato hoſte pœnas expetiturum. n) *Puerum ætas excuſet, feminam ſexus,* ait Seneca libris quibus iræ iraſcitur. Et ſane (cum fides violari conſueviſſet inquit Bodinus o) diſplicuit pleriſque gentibus iſta in obſides ſæviendi libido, & ſufficere creditum fuit, per tales obſides pacis & conventionum capita hoc arctius firmari, quo chariores illi ſuis eſſent. Charitas iſta ubi neglecta, & pacta rupta fuerint, nihil imputari poſſe obſidibus, qui à ſuis decepti in eam fortunam præter culpam ſuam inciderint. p) Digna eſt quæ in exemplum conſultationum de hoc argumento inſtituendarum laudetur Cominæi q) Philoſophia. Plane ſi qui obſes venit, eſt, aut ante fuit in numero graviter delinquentium, aut poſtea fidem à ſeſe datam in re magna fefellit, fieri poteſt, ut injuria vacet ſupplicium. r) Vid. exempla apud Claud. Cotereum s) & Hortlederum. t)

§. VI. Tertia Cautio habetur, *ut pactorum for-*

mulis

k) Puſend. Jpr. Univ. Def. 12. §. 44.
l) Lucanus.
Off. I.
l) Cæſ. d. B. G. l. 1. c. 31.
m) l. I.
n) Liv. 38.
o) de Rep.
p) Hering. de fidejuſſ. c. 20 § 9. n. 61. & ſeqq. Ziegler ad Grot. l. 3. c. 20. §. 55.
q) l. 4.
r) H. Grot. l. 3. c. 4 §. 18.
s) de jur. & priv. mil. P. II. c. 30.
t) de Bell. Germ. l VI. c. 23. 7 31

mulis inſcribatur, quinam haberi oporteat obſides. In forma unionis inter Ottonem IV. Imperatorum & Albertum Machionem Brandenburgenſem apud Maderum u) dicitur de ſacramentalibus, qui ſimul obſides venerant: *Sine vinculis tamen & captivali cuſtodia manebunt.* Adde formam compoſitionis inter Ottonem Imper. & Ludovicum Ducem Bavariæ apud eund. x)

u) Antiquit. Brunsvv. p. 130.

x) p. 130.

§. VII. Reliqua quæ circa obſides diſputantur à doctis hominibus habent facilem explicationem. *An fugere obſidi liceat?* quæritur. Non licere putem, quam diu civitas id, cujus cauſa datus fuit, implere avet. At ubi illa pactum abrupit, bellum exiſtit & in captivum obſes tranſit. Inſignis eſt eam in rem Tryphonini locus: y) *in pace qui pervenerunt ad alteros, ſi bellum ſubito exarſiſſet, eorum ſervi efficiuntur, apud quos jam hoſtes ſuo fato* (ita legendum, non *facto* aut *pacto*, ut legit Salmaſius) *deprehenduntur.* Fato hæc adſcribit JCtus, quia nullo ſuo merito inſervitutem deveniunt: nam talia fato adſcribere tralatitium eſt. Tale illud Nævii: *Fato fiunt Romæ Metelli Conſules*, id eſt, ſine ſuo merito. z) Quemadmodum igitur captivus vi, vel fallacia poteſtatem hoſtium effugere poteſt: a) ita quoque talis obſes fugiens non poteſt dici ſui furtum feciſſe, uti de ancilla fugitiva Africanus, b) & de ſervo fugitivo Dioclet. & Maximin. AA. c) loquuntur: niſi ſi tamen ipſe, quo laxius haberetur, fidem de non fugiendo obligaverit. Sic recte quoque illos obſides elapſos judicamus, qui ad ſucceſſionem regni vocabantur, ob metum neque levem eum, ne ad iniquas conditiones adigerentur, ſi aperte dimitti poſtulaſſent. Demetrii exemplum eſt apud Juſtinum ex Trogo. *Aperte comprehendi debere conditionem de non fugiendo*

y) L. 12. pr. D. de captiv. & poſt lim.

z) Add. Serv. ad I Æn. v. 36

a) L. 26. D. de captiv. & poſtl.

b) L. 60 D. de furt.

c) L. 1. C. de ſerv. fugit.

giendo eſt ex ſuperabundanti, quia illa jam tacite ineſt conventioni. Et niſi ineſſet, obſidem fugientem recipere quid impediret? quod tamen non admittit H. Grotius. d) Itaque Tarentinorum obſides ex fuga retracti virgisque in comitio approbante populo cæſi, de ſaxo dejecti ſunt. e) Nec Clocliæ factum quicquam facile exuſaverit, niſi non revocabilis unquam pudoris cura ac ſolicitudo.

d) L. 3. de J. B. & P. c. 20. §. 54.
e) Liv. 35. 7.

§. VIII. Cum autem odioſa ſit obſidum obligatio; f) in unam cauſam dati in aliam retineri non poterunt, quod ita intellige, ſi aliud quid ſine obſidum acceſſione promiſſum ſit. At ſi in alia cauſa fides jam violata ſit, aut contractum debitum, jam poterit obſes retineri, non ut obſes, ſed eo gentium jure, quo ſubditi ex facto imperantium detineri queunt κατ᾽ ἀνδροληψίαν: Quod ipſum tamen ne fiat caveri poterit, adjecto pacto expreſſo *de non retinendis obſidibus in aliam cauſam.*

f) Grot. d. l. §. 55.

§. IX. Obſidibus affinia OBSTAGIA, quæ medii ævi barbaries vocat, firmandis conventionibus publicis ſumebantur; maxime à Germanicæ originis populis. Si ἔτυμον vocis reſpicias, idem erit ac datio obſidum, & *Oſtage* Gallice eſt obſes atque in multis inſtrumentis Germanicis Geiſſelſchafft und Leiſtung i. e. obſidium (ſi ita loqui licet) ſive obſidis datio & obſtagium pro iisdem habita ex Meichsnero refertur in *Collegio Argentoratenſi*, g) & quod Clariſſimus Schilterus uſu proprio obſidium (ita loquitur ille & nos jam deprecati ſumus uſum vocis) & obſtagium ita potiſſimum diſcerni putat, ut obſides conventionibus publicis, privatis obſtagia adjicerentur & potiſſimum in cauſis pecuniariis, id eorum in numerum referimus, quæ ſæpe fiunt non ſemper. *Obſtagia poſſunt dari pro republica* inquit Martinus de Carazius h) & citat Baldum adſtipulatorem. Quid opus eſt verbis,

g) ad tit. II. de re jud.
h) qu. 543. de Principibus, in Oc. J. XVI

ubi

ubi rerum teſtimonia adſunt? In conventione Ottonis IV.
Mader. Antiq Brunsvv. p. 126. Imper. cum Theodorico March. Miſniæ An. 1212. eſt: *Si aliquo modo, quod abſit, Marchio Miſniæ, ſecundum quod promiſſum & juratum eſt, non obſervaret, omnes intrabunt Brunsvvic & inde nunquam recedent ſine Domini Imperatoris licentia & voluntate.* Ex parte Imperatoris *ſub hac conditione promiſſum & juratum, quod ſi forte, quod abſit, ex parte Domini imperatoris non obſervaretur convenientia, omnes iſti qui juraverunt, civitatem Miſnam intrabunt, nec inde recedent ſine licentia Marchionis, excepto ſolo Dapifero, qui in hoc caſu Goslariam intrabit, inde nunquam receſſurus, ſine voluntate & licentia Marchionis.*
p. 129. In forma unionis inter eundem imperatorem & Albertum Marchionem Brandenburgenſem An. *Dominicæ incarnationis* M CCXII. Indict. XV. ita habetur: *Si Marchio promiſſum infregerit, Imperator ipſum ſuper voti violatione conveniet. Accepta conventione Marchio in præſentia Imperatoris, productis utrobiq; conſcriptis, innocentiā ſuam probabit. Si in probatione defecerit, ab inde infra ſex ſeptimanas viginti ſacramentales ipſius Brunsvvick intrabunt, & inde non exibunt, niſi per conſenſum Domini imperatoris.* In forma compoſitionis inter Ottonem Imp & Ludovicum Duc. Bavariæ A. M CCXII. Ita cautum eſt: *Poſtmodum jam ad validiorem confirmationem facti juraverunt quidam, & adhuc jurabunt duodecim ſubſcripti Miniſteriales, quod ſi ipſe Dux aliqua occaſione promiſſionem facti violaret, quod ipſi commoniti, quindecim diebus ante in civitatem* Auguſtam *intrabunt, nunquam inde ſine licentia Domini Imperatoris receſſuri. Sunt autem Miniſteriales*
p. 135. *Sifridus* Koph. &c. In transactione inter Archiepiſc Colonienſ. & Abb. Corbejenſem, An. M CC XXX. eſt; *Alioquin fidejuſſores noſtros* (noſtri debebat eſſe) *facta ſibi commonitione,* Merſberg *intrabunt, inde ante ſatisfactionem non exituri. Si vero nos juſtum judicium in ipſum malefactorem exercueri-*

reuerimus, vel eum de oppidis & caſtris noſtris expulerimus, ipſi fidejuſſores ex eo ſunt abſoluti. Hi autem ſunt fidejuſſores. Hermannus advocatus Colonienſis, & multi alii, quorum nomina cerneſis apud Schatenium. a) *Si vero aliquem fidejuſſorum prædictorum decedere contigerit, loco ipſius alius ſubſtituetur.* In compoſitione inter Conradum Arch. Colon. & Simonem electum Paderb. quam ſupra jam allegavimus, dicitur: *Nos Electus Paderbornenſis, ut prædicta compoſitio rata & firma permaneat, data fide in manibus Colonienſis Archiepiſcopi ad ejus obſervationem nos obligamus viginti quinque militibus ſubſcriptis & fidejuſſoribus à nobis conſtitutis, qui fide data, ad obſervationem Compoſitionis, prædicto ſe pro nobis Domino Colonienſi Archiepiſcopo ſimiliter adſtrinxerunt, taliter, quod ſi eadem compoſitio fuerit violata, niſi hoc infra menſem emendetur, ipſi moniti infra menſem, Suſatum intrabunt, inde non receſſuri, donec de violatione fuerit ſatisfactum &c.* p. 55. Add. id. p. 105. Itaque conventiones publicas obſtagio firmatas fuiſſe nemo negabit, quæ tamen in Germ. prohibita ſunt A. 1577. in ordinat. Politica.

a) Annal. Paderborn. l. XI p. 12.

§. X. Similis cautio ab omni ævo uſurpata eſt, *ut captivi redire in carcerem tenerentur.* Non igitur ut quidam exiſtimant, glorioſe tantum fecit M. Attilius Regulus, ſed & judicio Ciceronis, quod debebat *Regibus*, inquit Cicero, *non debuit conditiones pactioneſque bellicas & hoſtiles perturbare perjurio.* Nec obſtat illud

At qui ſciebat, quæ ſibi barbarus
Tortor pararet.

Enim verò *non indignitas rerum ſponſionis vinculum levat*, inquit apud Livium a) Poſtumius. Nam & hoc fieri poſſe jam ſcierat cum promitteret. Sic & de decem captivis, ut quidem ex priſcis Auctoribus rem enarrat A. Gellius, *Octo poſtu-*

minium juſtum non eſſe ſibi reſponderunt, *quoniam de jurio vincti forent*, i. e. *capitis minores*, ut Horatius de Regulo loquitur. Add. Boeçl. controv. Illuſt. 9. de captivit. Joh Gal. Reg. Leibn. dipl. 95. & exempl. Franciſci I. *qui niſi pacta ſervit, captivum ſeſe denuo ſiſtere pollicetur*. Sleidan. p. 147.

CAPUT IX.

DE MATRIMONIO.

SVMMARIVM.

§. I. Inter firmamenta conventionum publicarum refertur à nonnullis MATRIMONIUM.

§. II. Adeo, *ut* (1.) *hunc in finem privatorum etiam nuptiæ imperarentur*.

§. III. (2.) *Ut promiſcue liberi deſponderentur.*

§. IV. (3.) *Item virgo una velut integra familia.*

§. V. (4.) *Ut expreſſo pacto quorundam nuptiæ prohiberentur.*

§. VI. Oſtenditur horum firmamentorum INFIRMITAS.

§. I.

a) Daniel. XI 6. MAtrimonium etſi aliis rebus natum, firmandis tamen à multis ſervire putatur conventionibus publicis. a)

b) de Rep. Joh. Bodinus b) omnium cautionum maximam putari ſcribit, *ſi fœdera affinitate ac propinquitate contracta jungantur.* Et ſane non corporis tantum, ſed animorum quoque arctiſſima conjunctione copulantur conjuges: hinc *fides*

c) Senec. Agamem. *ſacrata conjugii.* c) Deinde, quod omnis ſapientiæ promus

d) IX. Il. v. condus Homerus ait, d)

Ο'υ μόνοι φιλέυς ἀλόχυς μερόπων ἀνθρώπων
Ατρεϊδαι Id eſt, Ulpiano interprete,

Non

Non ſoli amant uxores diverſivocorum hominum
Atrida. L. 31 §. 1. D. ad L. Jul. de adult.

Poſtremo pacta eliſurus jure timet, ne & liberi ſui chariſſima pignora, aut proximæ hinc neceſſitudines, quaſi penſata perfidia, impotentius tractentur. Itaque pignora pacis mulieres & ſuetis delinimentis plus ſæpe ad ſtabillenda fœdera valuere, quam formularum ſcrupuloſa illa ſubtilitas. Priſci Germani Tacito c) teſte ineſſe etiam ipſis ſanctum aliquid & providum putabant: nec aut conſilia earum aſpernabantur, aut reſponſa negligebant. Idem fuſe confirmat Plutarchus. Juno apud Divinum Maronem: f)

c) De mor. Germ.

f) Æn. XII.

Cum jam connubiis pacem felicibus, eſto,
Component; cum jam leges & fœdera jungunt.

Thuanus g) poſtquam Regem Galliæ cum Flandriæ Principe An. 1320. conciliatum fuiſſe tradidit, ſubjicit: *Sponſalibus, ut fieri aſſolet, firmata ſunt pactiones.* Ex nuptiis Eliſabethæ reginæ Angliæ cum Andino contrahendis oritura inter commoda primo loco referunt Proceres Angli, h) *firmam cum Gallis confœderationem.* Cum de pace inter Cæſarem & Gallum tractaretur, Cardinalis Polus optimum factum ſibi videri ait, ut jam nunc Chriſtiani Orbis bono, *contractis per connubia affinitatibus, pax firmaretur.* Confirmandæ Gallos inter & Hiſpanos paci proponitur fœdus inter utramque Gentem: *Fidei pignus, matrimonia duo.* i)

g) l. XXVIII. p. 2.

h) Cambd. Ann. Angl.

i) Thuan. l. XV.

§. II. Atque hæc adeo exiſtimata ſunt, ut *firmandæ paci publicæ privatorum etiam nuptiæ imperarentur.* Lectu digna ſunt, quæ Grammondus k) in litteras retulit. *Poſt pacem ita transactam, viſum è Republ. fore, ſi privatum fœdus Luynaeum inter & Richelium iniretur; eo dum deductis Galliæ rebus, ut ad ſalutem ipſius ſpectaret unio inter æmulos. Mutuo ſuſpectabant ſe Viri ſummam utriusque aulæ tenentes: Regem Luynaeus, & cum Rege imperia rerum: Richelius Reginam poſ-*

k) Gramond. H. G.

l) H. G. LVI. p. m. 301. & 303.

 ſidebat,

ſidebat, naſcente etiamnum fortuna nihil modice cogitans: unde æmulo metus: nec ſperabatur concordia matrem inter & filium duratura, niſi duo rerum arbitri inter ſe convenirent. Luynæo ex ſorore nepos erat Convaletus, vir nobilis, ex antiqua Comitum Royrenſium proſapia: Richelio neptis item ex ſorore, illuſtris virgo Poncorlæo e ſtemmate. Par utrique fortuna per avunculos: & ſi Convaletum urbana comitate fortuna dotaſſet, felix erat utrique nexus. Securitati & potentiæ conſulunt duo regni columina, nuptiasque inter nepotes meditantur. Poncorlæa prima inter virgines aulæ regiæ jungitur Convaleto, debita meliori fato ob feritatem, barbariem Viri. Certe eo nexu virgo innocens tranquillitati publicæ victima, Luynæo & Richelio ſidei pignus fuit.

Convalet de la maiſon de Royre

Poncorlé.

§. III. Obſervatione dignus eſt *tractatus* initus *inter* Albertum *Regem Romanorum &* Philippum *Regem Francorum de contrahendo matrimonio inter unum ex filiis Regis Franciæ* (excepto primogenito) *& unam ex* (nonnullis traditis) *filiabus Regis Romanorum, altero apud alterum electuro. In loco Quatuor Vallium vulgo Quatrevaux, 8. Decemb. 1299.* utroque Principe præſente.

§. IV. Hoc magis memorabile videtur, virginem aliquando velut integræ familiæ deſponſatam, ut prioribus fato concedentibus hereditate quadã *de uno ad alium deſcenderet.* Hoc placuit *in tractatu matrimonii inter* Sigismundum Auſtriacum & Radegontem *filiam primogenitam Regis Galliæ, Oenipont. 22. Jul. 1430.* Vtrumque inſtrumentum exhibet Leibnizius. k)

k) dipl. 26 & dipl. 140.

§. V. Contra in *tractatu pacis & fœderis* Barcellonæ inter Carolum VIII. Galliæ R. & Ferdinandum ac Iſabellam Regem & Reginam Hiſpaniarum hoc pactum ſecuritatis & firmamenti cauſa adjectum eſt, *ne Ferdinandus & Eliſabetha copulent ſive jungant aliquo modo matrimonio liberos ſuos cum Regibus*

l) Leibn. dipl 203. §. 4.

Regibus Romanorum & Angliæ, neque cum liberis eorundem, neque cum inimicis Chriſtianiſſimi Regis Francorum absque ejusd. Regis voluntate & conſenſu, neve auxilientur eis, cum quibus liberos ſuos matrimonio copulabunt contra ſtatum & Domum Chriſtianiſſimi Regis, heredumque & ſucceſſorum ſuorum. Enimvero metus eſt, neque is injuſtus, ne hoſtis matrimonio quæſito hoſtilis induatur animus, potentia coadunatis viribus accreſcente. *Ilion, Ilion*

Fatalis inceſtusque judex

Et mulier peregrina vertit. o)

Ne etiam privatos duntaxat malis rei uxoriæ premi putes, RESPICE RIVALEIS DIVORUM. p)

§. VI. Non male tamen Famianus Strada: q) *Manere hæc firmamenta, quamdiu annuerit dominandi cupido, cui plerumque tenacius nubant Reges.* Gramondus: r) *quæ privatis hominibus vincula charitatis, ſanguis & affinitas; principibus ſæpe incitamenta in diſcordiam & fomenta odii ſunt.* Notum eſt exemplum Caroli Delphinis deinde VIII. id nomen Regis Galliæ, à quo Margaretha Auſtriaca Maximiliani I. Romanorum Regis gnata, iſta

Infelix Dido, nulli bene nupta marito *

pactionis Atrebatenſis firmandæ cauſa Anno 1482. ſibi deſponſata poſt decennium repudiata eſt, ducta uxore Anna Franciſci Britanniæ Ducis filia unica Ducatus herede, quæ jam tum Maximiliano in manus convenerat. Ad hunc locum apprime pertinent, quæ de pacto Atrebatenſi notavit Amelottus Huſſæus. s) Barclajum t) audiamus ſub perſona Regis Meleandri: *Privatorum eſt eligere matrimonia ex amicitia affectu & morum concordia. Nobis illa ſuavitas exuenda. Regum enim fortuna eſt, ut nunc indignos & exoſos per ſanctiſſima fœdera ſibi conjungant: nunc omnium nexuum jura, omnisque ſanguinis charitatem inhumana neceſſi-*

o) Horat. l. 3. Od. 3.

p) Juvenal.

q) Dec. I. l. 1.

r) H. G. l. VI. p. 621 Conf. Alb. Gentil. de J. B. 13.

* Ipſa hoc nomine uſa eſt, & illo Symbolo; Fortune infortune fort une.

s) Diſcours hiſtorique p. 17. & mult. ſeqq.

t) 3. Arg. c. II.

tas negligat. Chariſſimus eſſe ſolet, qui utilitate præcipua potentiam noſtram alit, & affinitates pulcherrimæ cenſentur, quæcunque regnum ſtabiliunt. Idem Rex experientia magiſtra, *Scio*, inquit, *à Regibus ſæpe filias aut ſorores ſpargi in eos, quos fallere amicitiæ ſpecie volunt, vel ad tempus placare; nihilque deinde ſui ſanguinis pignoribus, nihil nominum, quæ mutuò inierunt, reverentia motos, pacem & bella ex temporum & fortunæ ingenio æſtimare.* Elegantes in utramque partem rationes habes in M. Zuerii Boxhornii *diſquiſitionibus politicis.* a)

a) diſquiſit. 1 & 2.

CAPUT X.

De PIGNORIBUS & HYPOTHECIS, *queis firmantur conventiones publicæ.*

SUMMARIUM.

§. I. Conventiones publicas ipſo fidei vinculo arctius *ob metum potentiæ humanæ in rebus* adſtricto firmant PIGNORA. FINIS.

§. II. DIVISIO. Conſtituuntur vel *rei traditione*, vel *pacto*, quæ *hypothecæ* vocantur.

§. III. *Illa* uſum habent inter perſonas publicas, *hæ* non item; niſi forte inter Principes Imperii.

§. IV. OBJECTUM. Res in commercio. Hinc minime *Panis Euchariſticus*. De oppigneratione *Imperii totius*,

§. V. *Partis* in rebusp. herilibus,

§. VI. in rebusp. primi ordinis

§. VII. Quorum conſenſus non requiritur, eorum diſſenſus non obſtat.

§. VIII. Vasquii ſententia excutitur.

§. IX. In rebusp. mixtis,

§. X. in Imperio Germanico,

§. XI. in Regionibus Germaniæ.

§. XII. CAUTIONES ſunt vel *generales* utriq; paciſcentium, vel *particulares* creditori debitorive obſervandæ.

§. XIII. Cautio generalis, (1.) *ut omnia accurata verborum conceptione conſignentur.*

XIV. (2.)

§. XIV. (2) *Vt pacta de impenſis faciendis adjiciantur.*

§. XV. Cautio particularis CREDITORIS, (1) *ut pignus pretium debiti æquet.*

§. XVI. (2) *Vt adjiciatur cautio ob evictionem. id quod tamen ſit ex ſuperabundanti.*

§. XVII. (3) In rebus fructuoſis *pactum antichreticum.*

§. XVIII. (4) In ſterilibus *lex commiſſoria.*

§. XIX. (5) *Vt ſi intra certũ tempus non ſatisfactum, creditor jure emtoris rem poſſideat.*

§. XX. (5) *Vt loco contractus pignoratitii ſubſtituatur contractus retrovenditionis.*

§. XXI. DEBITORIS, (1) *Vt in tertii manus ad tempus conſignetur pignus.*

§. XXII. (2) *Vt idonee caveatur de reſtituendo cum omni cauſa.*

§. XXIII. AFFINE. POENA CONVENTIONALIS.

§. I.

Pignora conventionibus publicis adjici ſolent, tum ut debitor ad exſolvendum debitũ adigatur deſiderio poſſeſſionis rei ſuæ reciperandæ, a) tum ubi obligationi ſatis non fit, ut habeat creditor, unde ſatis accipiat, utque dum pignori incumbit, moleſtia per arma jus ſuum perſequendi ſuperſedere queat. Quamvis non ita exiſtimandum ſit, quaſi pignore vel hypotheca conſtituta liberetur debitor: c) ſed quia plus cautionis in re reputatur quam in perſona. d) Pignus proponi *propter contractus fidem ac reſtituendæ rei vinculum*, ait eleganter Papinianus. e) Hinc in Legibus Romanis res oppignoratæ dicuntur *res nexæ*, item *nexus pignoris.* f) inde *nexus fieri prædiorum* dicitur. g) & Martialis agrum pignori ſuppoſitum ſcite appoſiteque *ſponſionem* vocat. Illud hic prætereundum non eſt, nos *creditoris* & *debitoris, crediti* & *debiti*, item *ſolutionis* vocabulis uti in ſignificatu laxiori, ICtis plane familiari. Paulus, k) *crediteres*, inquit, appellantur, quibus quacunque ex cauſa actio competit. Gajus l) : *creditorum* appellatione non hi tantum accipiuntur, qui pecuniam crediderunt, ſed omnes quibus ex qualibet cauſa debetur. Eadem

a) L. 35. ſ. 1. de pignorat. act.

c) L. 1. C. de pignor. & hypot. Mev. P. III. D. 197. n. 2.

d) L. 25. D. de R. Jur.

e) L. 9. ſ. 2. de ſuppell. leg.

f) L. 27. D de pig. act. L. 1. ſ. 4 Ne vis fiat ei qui in poſſ. L. 22 ſ. 1. D. de jur. fiſc. L. 2. & L. 7. C. de [illegible] diſtract. pign.

g) L. 31. D: [illegible] L. 52 ſ. 2. de pact.

h) L. 5. C. ſi alien. res pig. dat. ſit.

k) L 16. ſ. 2. D qui & a quibus manumiſſ. l) L. 11. de V. S.

S dem

dem Ulpiani ſententia eſt. m) Nam cuicunque rei adſentiamur, inquit, alienam fidem ſecuti, mox recepturi quid ex hoc contractu, credere dicimur, n) & alibi ait, o) hoc verbum, *debuit*, omnem omnino actionem comprehendere intelligitur. Modeſtinus: p) *debitor* intelligatur is à quo invito exigi pecunia poteſt: Pecuniæ autem nomine non ſolum numerata pecunia, ſed omnes res tam ſoli, quam mobiles & tam corpora, quam jura continentur, uti Hermogenianus, q) aliique docent. r) *Solutionis* verbo, inquit Ulpianus, s) ſatisfactionem quoque omnem accipiendam placet: magiſque ad ſubſtantiam obligationis refertur, quam ad nummorum ſolutionem: t) *ſolvere* dicimus eum, qui fecit, quod facere promiſit.

§. II. Pignus conſtituitur vel rei traditione, vel ſine traditione conventione, ſeu nuda aſſignatione boni alicujus potiſſimum immobilis, ex qua ſolutione non facta ſibi ſatisfacere poſſit creditor. u) Illud Romani ſpecialiter *pignus* vocant à pugno, x) & etiam hac alluſione non obſtante in re immobili conſtituunt y) hoc plerumque *hypothecam*: z) licet alias inter pignus & hypothecam tantum nominis ſonus differre dicatur: a) eadem ratione qua Icti apocham ab acceptitatione: & qua Medici quidam anthraca à carbunculo: & Theologi Pentecoſten à quinquageſima ſeparant.

§. III. Iſtum modum inter perſonas publicas obtinere non eſt dubium. Res enim natæ ſunt ut teneantur. Exemplis plena hiſtoria. Quid de nudis hypothecis dicemus, quæ ſola pactione conſtituuntur, citra rei traditionem? Has inter illos, qui in libertate naturali invicem vivunt, inutiles eſſe exiſtimat Puſendorfius. b) Nam ubi ultrò debitor ſolvere re-

nuerit,

m) L. 10. & 12. eod.

n) L. 1. de R. C.

o) L. 178. de V S

p) L. 108. eod.

q) 222. eod.

r) Vid. L. 1 §. 4 L. 3 & L. 4. pr. D. de calum.

s) L. 176. D. de V. S.

t) L 54. D. de ſolut.

u) Vid. Schilter prax. J. R. in for. Germ. Exerc. 33. §. 2. & 3.

x) L. 238. §. pign. de V. S.

y) L 15. §. 2. qui ſatisd. cog L. 36. de acquir. poſſ. L. 8. §. 15. de tranſact. L. 2. §. f de Religioſ. L. 39. de pi. act. L. 1 § 2. L. 11. §. 1 L. 23. pr. de pign. L. 7. C de pign. act. alibiq; Add. Cap. Ad noſtram 7. X. de Jur. ibique Gonz. Tellez 1. F. 4. §. 4. Tacit. I. 19. v. 50. Neguſant. de pign. P. I. n. 1. & id Gonz. Tellez. ad C. cum contra X. de pignor.

z) §. 7 J. de act L. 9. §. 2. D. de pig act. L. 4. de pig.

a) L. 5. de pign. & hyp. H. Terent. Phorm. IV. 3.

b) l. X. de J. N. & G. c. 10. §. 16.

auerit, vi utique & armis invadendam eſſe poſſeſſionem hypothecæ. Atqui etiam citra aſſignationem hypothecæ inter tales quælibet bona debitoris invadere licere. Quanquam hæc ratio non ſemper valeat. Quid enim ſi res pignoris jure affecta ad tertium perveniat? De quo inſignis caſus eſt in Conſultationibus Holandicis. c) Verior eſt ratio, quod ſola conventione ſine traditionis actu ſecundum jus naturæ æque ac civile nec dominium nec aliud jus in re transferatur. V. Franc. Hotoman. a) Feltman. b) & excell. Hert. c) qui Grot. d) id negantis eiq; , adſtipulantium Ziegl. & Boecleri argumenta expendit. Quanquam Imperatores, Reges, Principes, Civitates ſub hypotheca vel generali vel ſpeciali ſeſe obligaſſe deprehenduntur. Ludovicus Bavarus rerum ſuarum & imperii hypothecam Philipp. Valeſio Galliæ Regi conſtituit in fœdere Anno 1337. Idem Reges Chriſtianiſſimi facere ſolent. e) Sed hæc ſupervacanea eſſe ſupra diximus. Niſi quod favore niti videatur & majori juſtitiæ ſpecie, qui aures, ut ille ait, lotus aceto inter pacis πικρμηια in hypothecæ poſſeſſionem citra prætoris decretum ſemet immittit, eamque contra quemcunque poſſeſſorem perſequitur. Inter principes tamen & ordines Germaniæ utique valebit hypothecæ conſtitutio, quia hi etſi excelſa res ſuas adminiſtrent poteſtate, communis tamen Reipubl. eminentiori ſubſunt imperio, & datur inter eos ac cum iis legis actio. Quamquam & hic notandum plus eſſe cautionis in pignore, quam hypotheca, ut ſecundum Pauli reſponſum non videatur mandati conditione paritum, cum in mandato adjectum ſit, ut idonea cautio à debitore exigeretur, ſi neque fidejuſſor, neque pignora accepta ſint *L. 59 in f. mandati.*

c. P. Conſ. 1.

a) quæſt. illuſtr. 11.
b) de Jure in re & ad rem c. 14.
c) Diſſert. de convent. dom. transl. §. 15.
d) l. 2. de J. B. & P. c. 6. §. 1. c. 8. §. 25. c. 11. §. 1. Add. Huber. IV. Digreſſ. c. 8.
e) V. Leibnitz dipl. 51. §. 4. dipl. 33.

§. V. Quid dicemus? Quænam res pignoris nexu obligari poſſunt? Pignorum uſus alias maximè inventus eſt ob ſecuritatem debitorum, quæ pretio vulgari vel eminenti conſtant.

ſtant. Itaque conveniens eſt, pignora parem cum iſtis habere indolem. Hinc Gajus ait. a) *quod emtionem venditionemque recipit, etiam pignorationem recipere poteſt.* plus enim eſt in alienatione quam in pignore. b) Quæ hic opponi poſſunt diſcuſſit doctiſſimus Huberus. c) Contra Marcianus. d) *eam rem quam quis emere non poteſt, quia commercium ejus non eſt, jure pignoris accipere non poteſt.* Add. *L. ult C. de reb. al. non alien.* Facit, quod jus in re alteri conſtituat: e) pignus adeoque naturam conventionum dominii translativarum in eo imitetur. f) Quod jus pignoris ita rei annexum eſt, ut debitor nec rem alienando, neque alteri poſtea obligando, poſſit creditoris conditionem deteriorem facere. g) His poſitis apparet τὸν ἅγιον ἄρτον, quem Ludovicus S. Galliæ Rex in Cairi obſidione captus ac neceſſitate adactus Ægypti Sultano pignori oppoſuiſſe à quodam dicitur, h) rem eſſe in qua pignus conſtitui non poſſit. Contra imperia non minus quam res aliæ oppignorari poſſunt, ab eo cujus in dominio vere ſunt, i. e. à Rege, ſi imperium in patrimonio habeat. Nam alienare poſſe ineſt in ipſa dominii pleni ſcilicet natura. Itaque Ariſtoteles: i) ὅρος τοῦ οἰκεῖον εἶναι, ὅταν ἐφ' αὐτῷ ᾖ ἀπαλλοτριῶσαι. *Proprietatis definitio eſt, ubi penes ipſum eſt jus alienandi:* ſicuti & verſa vice genuina appellatione, ſecundum Horatium

proprium eſt quod quis libra mercatur & ære

Unde trita uſu regula, k) *quemque rei ſuæ liberum eſſe moderatorem & arbitrum:* Item *nihil tam naturale eſſe, quam voluntatem domini rem ſuam in alium transferentis eſſe ratam.* Sic Rex Solomo regi Phœnicum Hiromo viginti urbes omnemque adeo terram Cabul partim ſubactas partim à Socero Æpypti Rege dotales acceptas dedit. Magno argumento, non eſſe hoc contra jus naturæ, cum minime id factum improbaverit Divinum Numen haud connivere ſolitum ad inhoneſta,

vel

a) l. 9. §. 1. D. de pign. & hypothec. Add. L. 18. §. ult. D. de pignorat. act. & L. Un. C. rem alien. gerent.
b) D. Gothofred. ad d. l. 18.
c) Præfect. ad D. ad tit. quæ res pign. §. 1. & 2.
d) L. 1. § 2. D. quæ res pign.
e) L. 1. D. de pigneratit. L. 17 de pign. L. 30 de nox. act. L. 19. de damn. infect. Add. Lauterb Colleg. ad t. D. de rer. diviſ. & Huber. IV Digreſſ. 7
f) L. 2. de pignerat. act. L. 6. C ſi res alien. pign. dat.
g) L. 15. C. de pign.
h) Ferdinand Neuburgs curioſer Hofmeiſter c. 3. p. 274.
i) 1 Rhet. V.
k) L. 21. C. Mandati. § 40. J. de A. R. D.

vel, quod perinde eſt, ad juri naturali répugnantia facinora. Idem confirmant longævi & ubique terrarum recepti mores, & exempla regnorum aut principatuum titulo dotis, donationis, diviſionis, venditionis, uſus fructus, permutationis, obligationis, pignoris, emphyteuſios, feudi, inſtitutionis, legati vel fideicommiſſi gentem in aliam vel familiam, item de lancea, quod aiunt, infuſum, vel ab agnatis in cognatos ab inteſtato aut alio acquirendi modo tranſcriptorum. Nec vero fugere id poteſt quemquam hiſtoriæ humanarum rerum gnarum: imperitiorem uberrimè doceant, quæ operoſe ex omnis ævi, omnium populorum annalibus congeſſit H. Grotius, m) & bonæ notæ alienationũ inſtrumenta apud Leibnitz. In Ariſtocratia ab optimatibus; alioquin à populo fieri alienationem par eſt. Quæ objici poſſunt confecit laudatus H. Grotius & Hermannus Conringius. n) Et hæc quidem procedunt de toto imperio ſummo.

m) l. 1. de J. B. & P. c. 3 § 12. ibiq; in not.

n) 11 de finib. Imp. c. 19. § .

§. VI. Qui partis alienationem ſeu oppignerationem, admitunt, pleriquetamen requirunt, ut etiam pars de qua alienanda agitur, conſentiat. o) Ita Vaſquius & Gailius p) & ipſe noſter Grotius, r) putant. At vero cum in dominicis rebuspublicis, ſive eæ unius imper. rectæ δεσποτικαὶ latinè dominatus, ſive plurium ὀλιγαρχίαι δεσποτικαὶ dicantur ſubditi ſeſe habeant ad imperrantes, ut ſervi ad dominos, haut videtur in iis quidem conſenſum populi poſtulari. In iis enim ne ſpeciem quidem veri invenit Grotii argumentum: qui in civitatem coeunt, ſocietatem quandam voluntate contraxiſſe perpetuam & immortalem, ac propterea jus ejus in partes ex primæva voluntate metiendum eſſe, quam minime credi debere talem fuiſſe, ut jus eſſet corpori partes & abſcindere a ſe & alii in ditionem dare. Ipſemet ſane ὁ μέγας alibi: q) inquit cum homini cuiq ſe in privatam ſervitutem, cui velit addicere liceat, ut ex lege Hebrea, r) & Romana, s) apparet. quid

o) Controv. III c 5 n. 5

p) l. 2. de J B. c. 15 n. 10. & 14.

p) l 2 de B. J. & P. c. 6. § . 4.

q) l. 1. de J B. c. 3. § 8

r) Exod. XX.

s) Inſtit de jure perſon §. Servi autem.

quid ni ergo populo ſui juris liceat ſe unicuique aut pluribus ita addicere, ut regendi ſui jus in eum plane transſcribat, nulla ejus juris parte retenta? Atqui pleraſque ſi non omnes deſpoticas reſpubl. longe aliis legibus coire, in aprico eſt. Suſpenſum autem eſſe à conſenſu populi adverſatur ei juri, quo dominator juſte ſua commoda multitudinis commodis antehabere poteſt. Si igitur herile imperiorum genus injuſtum non eſt, conſenſum populi circa oppignorationem negligere etiam haut fuerit injuſtum. Vaſquii enim πρῶτον ψεῦδος eſt, quod ille pro fundamento omnium diſputationum ſuarum habet, Rempubl. omnem coire ſpontaneo arbitratu civium in communem utilitatem, quo nihil à veritate magis alienum excogitari ac fingi animo poteſt.

§. VII. Enimvero nec in rebuspublicis primi ordinis, quæ potiſſimum parentium commoditati ſerviunt, neceſſaria eſſe videtur vel προβουλεία cum populo, vel ejus in oppignorationem conſenſus, niſi in ſola Politia. Enimvero in iis Civitatibus illorum eſt, qui ſummo cum imperio populi rebus præſunt, providere ſaluti publicæ, conſulere fortunis, mederi incommodis &, ut Valentiniani imperatoris apud Sozomenum verba ad milites huc accomodem, quæ facienda ſunt cogitare. Si igitur SALUS REIPUBL. SUPREMA LEX expoſcat partis alicujus oppignerationem, penes imperantem hujus rei arbitrium erit. Perinde atque Pater, etſi filii curam auxie gerere debeat, neque ex ejus incommodis ſua ædificare commoda poſſit, Hebræo Romanoque jure a) eum, ubi alia ratio illum alendi non ſuppetit, vendere pignorique opponere poteſt. Id tamen nos τοῖν ἀμφοῖν largimur, ſi quid reſpub. ex oppignoratione detrimenti capiat, licitam eam non eſſe: cum vero dictum ſit, penes Principem eſſe, quid è republica ſit, perſpicere, non video quid hæc objectio magnopere contra nos Principis jura, ſine

a) L. 2. C. de patr. qui fil. diſtrax.

tamen

tamen populi incommodo tuentes facere queat. Nec vero etſi in perpetuam ſocietatem coierit populus, huic rei quicquam obeſt: perpetuum enim in his quidem negotiis moraliter accipiendum eſt, cui ſcilicet non obeſt moralis quædam impoſſibilitas, ut Conringius b) loquitur, qualis oritur à neceſſitate pereundi, niſi ſocietate diſſoluta patiatur pars populi ſe alienari. b) II. de Finib. Imper. c. 19. §. 7. In Democratico ſtatu ipſe populus αὐτοκρατορίαν habet, qui quidem vere conſtituit civium ordinem, itaque injuſſu populi nego effici aliquid jure poſſe. Uti tamen nulla res publica adeo popularis eſt, ut & pueri, qui nondum ære lavantur, nuptæ innuptæque puellæ, aut ex ima plebe

Ambubajarum collegia, pharmacopolæ,
Mendici, mimæ, balatrones, hoc genus omne, c) c) Horat. Sat. II.

aut οἱ φύσει δοῦλοι de ſalute Reipubl. in medium conſulant, ita nec eorum conſenſio opus eſt ut impetretur.

VII. Quorum autem ad oppignorationem conſenſus non requiritur, eorum diſſenſum eam impedire minime poſſe, ſole, cum ſudum eſt, clarius eſt. Hinc nos quidem heic Grotii Vasquiique ſententiam ſequi non poſſumus, qui exiſtimant, ubi manifeſta eſt in contrarium voluntas aut corporis aut partis, nihil actum debere intelligi. Nec huic obſtat, quod in Reip. civili imperetur volentibus; Intelligendum quippe id eſt de voluntate fini Reipubl. conſentanea. Alioquin enim & in invitos & in renuentes competit Imperium rectori: non minus uti immorigeros in gnatos clementi ac facili Patri.

§. VIII. Neque admittendum eſt, quod Vaſquius ait, ne ob neceſſitatem quidem ac ſalutem publicam poſſe partem alienari: quaſi injuſtum ſit, ut univerſitatis cauſa pars damno mactetur. Ut taceam enim Vasquio nullo diſcrimine haberi, deſpotica ſit Reipubl. figura an civilior: profecto omnis

ćto omnis conſociatio, qua multi Patres familiarum in unum populum ac civitatem coeunt, maximum dat jus corpori, eique qui habet jus integri in partes, ac quilibet, quantum in ſe eſt, debet ſaluti publicæ conſulere, ac commoda publica ſuis fortunis vitæque ipſi anteponere. *Sarcit quidem acceptum damnum respubl. ſi poteſt*, inquit Herm. Contingius, a) *aſt magis in præmium quam ex debito: Itaque ſi non poteſt, neceſſum eſt, ut pars quæque ferat, quod mutari non poteſt, ob reliqui corporis ſalutem.* Aut ſi mavis Cornelii Taciti c) verba huc accommoda: *Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra ſingulos utilitate publica rependitur.*

a) d. l. §. 9.

b) 4. Añal. 44

§. IX. Tametſi vero libera imperantibus competat oppignorandi poteſtas, ſive imperium ſit penes unum hominem, ſive penes unum concilium e paucis pluribusve compoſitum: ſi tamen quaſi divisa ſit Majeſtatis ratio, aut ſi jura quædã inſignia penes quosdam ſint, penes alios alia, aut ii qui Principes vocantur, ſuadendi potius facultate, quam jubendi poteſtate polleant, uti apud Germanos quondam, f) oppignorari res imperii non poſſe, niſi conſultis iis, quorum circa hæc talia diſcipiendi ex legibus fundamentalibus competit judicium, aut quorum intereſt, oppignorationem fieri vel non fieri, diſpaleſcit: quippe τὸ κύϱιον catenus habent. Quidquid igitur contra fit, id actum non eſſe intelligendum eſt.

c) Tacit. de mor. Germ.

§. X. Quid de oppignorationibus imperii Germanici dicendum? Si regio externo oppigneranda ſit, imperii ordinum conſenſum ab imperatore etiam olim fuiſſe neceſſario adhibendum recte Contingius g) docet. Si regio ſub nexu imperii maneret, olim laxior, præſertim circa civitates imperiales imperatoris fuit poteſtas; quod infinita oppignerationum exempla teſtantur, h) & privilegia adverſus poteſtatem hanc Cæſarum data, Aquisgrano An. 1166. à Fride-

g) II. de finibus Imp. c 19 §. 21. & ſeqq.

h) V. A. Der Lindauiſchen Ausführung p. 485 ſeq. Strauch. de de Oppignerat. rer Imp. c. 9. D. Schilter. J. J. P. l. 3. c. 4. §. 4.

à Friderico I, Bernæ An. 1218. à Friderico II, Vraniæ Anno 1240, civitatibus imperialibus Wetteraviæ & nominatim Francofurto à Richardo An. 1257 Carolo IV. An. 1366. Sigismundo 1417. Vti ex ipſis chartis & hiſtoriarum monumentis oſtendit πλυμαθέστατος Hertius. i) De principatibus tamen inſignis eſt charta Friderici II. Imper. An. 1216. quam idem adducit ex Wigul. Hundio, k) ubi declaratur, per ſententiam principum & ſubſecutionem tam Nobilium, quam Baronum atque Miniſterialium & Ordinum, qui aderant, judicatum eſſe: *Nullum principatum poſſe vel debere nomine concambii vel cujuscunque abalienationis ad aliam perſonam transferri ab Imperio, niſi de mera voluntate & aſſenſu Principis Præſidentis & Miniſterialium ejusdem Principatus.* Oppignoratio civitatis Giengenſis à Carolo IV. 1354. in diplomate apud Beroldum l) facta dicitur, Mit Rath / Willen und gantzer Gunſt aller Chur-Fürſten des Heil. Römiſchen Reichs / auch mit Rath der Dienſt-Herrn und der Edlen auch des heil. Reichs id eſt, *conſilio, voluntate plenoque aſſenſu omnium S. R. J. Electorum, conſilio quoque Miniſterialium Nobiliumque, & totius Imperii.* Hodie certe Imperatorem ſolum regiones imperiales regionum Dominis pignoris nomine obligare non poſſe apparet ex Capitulationibus omnibus à Carolo V. usque ad Leopoldum & Joſephum AA. Quod ſi tamen neceſſitas efficacior in adverſis quam ratio m) conſilium ſubjiciat, an principum Electorum conſenſus ſufficiat, an vero ceterorum quoque ordinum requiratur, diſquirunt Juris publici conſulti. Poſterius placuit Limnæo, n) eodem inclinat H. Conringius, licet ſuſpenſo gradu incedens. At cum ceteri ſtatus Capitulationi id inſeri vellent, ab Electoribus monita eorum ad Artic. 9. Capitulationis Leopoldinæ o) non aliter fuere attenta, quam, ut, ſi res ita popoſcerit, nach Gelegenheit der Sachen / etiam Statuum conſenſus adhibea

i) Diſſert. de ſuperior. Territor. §. 92.

k) Metropol. Salisb. T. II. ſub rubr. Nieder Münſter.

l) voc. Reichs-Stadt.

m) Curt. l. 8. c. 4.

n) Tom II. addit. ad J. P. l. 1 p. 245 & ad A. B. c. 5. 5 obſ. 18.

o) V. A. Der Grund-veſte P. 3. c. 3 pag. 197.

adhibeatur. Vtrum vero unanimis Electorum conſenſus requiratur, an vero ſufficiat majoris partis conſenſus mira Prudentum diſſenſio eſt. Collegialem conſenſum ſufficere putat Gabriel Schvvederus JCtus Tubingenſis p) Sprengerum q) ſecutus: unanimem requiri exiſtimat Limnæus r) propter vocem ſämtlich / quæ in Capitulationibus adhibetur, & egregiis argumentis adſtruxit in inſigni *ad Capitulationem Joſephi Commentario* vir omnis juris callentiſſimus, omnibusque laudum titulis major Fridericus Nitzſchius, in Illuſtri hac Studiorum Vniverſitate Anteceſſor Primarius optime merens, Præceptor, Hoſpes atque Fautor meus maximopere devenerandus.

p) Introd. in J publ. P. ſpec. Sect. 1. § 3.
q) l. 1. c. 6.
r) ad Cap. Caroli V. art. 9.

§ XI. Regiones ſive ſpeciales Imperii Germanici Reſpublicæ aliæ ſunt feudales, aliæ allodiales ſive mancipi. Hæ aliis regionum Dominis ſine conſenſu Imperatoris oppignerari poſſunt, ob plenum oppignerantis dominium. Feudalium diverſa videtur ratio, *2. F 55.* & ſpeciatim Electoratuum *A. B t. 20.* Et ſane oppigneratio des Amtmannampts confirmata eſt à Ruperto A. 1401. civitati Bibracenſi Imo Carolus IV. Imper. impertivit privilegium civitati Friburgo in Brisgovia, *ne Dominus ejus Dux Auſtriæ poſſit eam oppignorare, quod confirmavit Rupertus Imper an. 1403.* Ab eodem Ruperto Comites de Zvveibrucken & Dom. in Birſch An. 1406. impetrarunt conſenſum in oppignerationem portionis ſuæ an. 400. Fl. Zu Weiſſenburg, *divile die 400. Fl. Gelts von dem Riche ruren t.* *Quia hac pecunia ſumma clientelarem ortum ab Imperio ducit.* Obſervatu dignum quoque, quoties de feudo oppignerato ante cum conſenſu Domini eo mortuo inveſtitura peteretur, renovandam quoq; fuiſſe oppignerationem & confirmationem petendam. Ita Rupertus Imper. Joannem Comitem de Habsburg inveſtit de telonio. Zolle, Geleite und Muntze zu Lauffenberg, quæ Majores civitati Lauffenbergæ

ſenbergæ oppigneraverant, poſtquam oppign. confirmaſſet, Conſtantiæ An. 1408. Martis poſt Lætare. Carolus IV. Imper. conceſſit Ruperto Sen. Elect. Palat. ſucceſſoribusque jus oppignerandi feuda imperii, Pragæ, 1375. *Habes* & alia alienationum non niſi cum conſenſu Cæſaris factarum exempla in V. C. Joh. Schilteri *Codice Juris Alemannici feudalis a*. s) At Zaſius t) in Germania Friderici conſtitutionem de prohibita feudorum alienatione male cuſtodiri ſcribit. Id quod ad regiones vel allodiales vel feudales mere hereditarias referri oportet. Equidem leges feudales ſatis mature vitium feciſſe apparet ex Conſtitutione Frider. I. apud Radevicum, u) & epiſtola Eugenii III. apud Ottonem Friſingenſem. x) Poſtmodum bellis civilibus magis magisque incrudeſcentibus imminuta regia auctoritate jurisdictiones magis propriæ poſſeſſionis ſunt factæ. Certe tot regiones allodiales inde emerſerunt, quæ tamen pleræque rurſus vel Imperio, vel potentioribus regionum Dominis in feudum oblatæ fuere; ut ex multis hiſtoriis evidentiſſime paret. Sed & hinc eſſe acute conjicit Hertius, y) quod hodie regionum Domini particulas quasdam alienaturi conſenſu Cæſaris vix requirere ſoleant, ut Doctiſſimus Franzkius peculiari conſilio apud Struvium z) docet. In univerſum tamen ſuperioritatis territorialis, quæ feudi nexu tenetur, oppignerationem ſine Cæſaris & familiæ aſſenſu haud procedere utique ſtatuendum eſſe videtur. Fridericus II. in Conſtitut. de Juribus Principum An. 1232. apud Sibidatum in Foro Julii, quam Schilterus edidit: a) *Nemo recipiat in pignore bona, quibus quis infeodatus ſit, ſine conſenſu & manu Domini principalis.* Quando autem locus eſt oppignerationi, inſignia quædam obſervanda proponit incomparabilis Hertius. b)

s) c. 26 §. 11.
t) p. 9 de Feud. n. 22. Conſ. Klok. conſ. 11 n. 146. 147.
u) l. 4 c. 7.
x) l. 1. de geſt. Frider. c. 35.
y) Diſſ. de Superior. territ. §. 65.
z) S. J F. c. 14 §. 29. n. 5.
a) T. II. Inſtit. J P. tit. 16.
b) l. c.

§. XII. Pignus utriusque gratia datur & debitoris, quo magis ei credatur, & creditoris, quo magis ei in tuto ſit creditum. a) Ne igitur uterq; hoc fine excidat, CAUTIONES quaſdā obſervare ſalus eſt paciſcentibus. Nam ſæpè verum eſt, quod Lumbranus apud Pufend. b) ſuper ſtabililienda pacis ſecuritate diſſerit, *loca quædam in cautionem retinere magis ad dilatandos fines quā ſecuritatem ſpectare*. Belgæ pignori obligatas urbes Anglorum præſidiis tradiderunt *non ſine metu in poſterum, quem tunc præſens neceſſitas averterat*. bb) In fœdere cum Gallis A. 24. Compendii inito recuſabant Belgæ pignori ſupponere firmum oppidum, non ignari quantis curis, ſolicitudine, largitionibus, animi providentia è Brittannorum manibus oppida pignori data Belgio rurſus aſſeruerint. c) Cautiones verò vel *generales* ſunt utriq; , vel *ſpeciales creditori* potiſſimum *debitorive* conducibiles. Singulas breviter & capitulatim attingam.

a) §. f J. quib. mod. re contrah. obl.

b) J. VIII. rer. Brandenb. §. 71.

bb) Grot. Annal Belg. IV. p. m. 94.

c) Leo ab Aitzma H. P.

§. XIII. I. CAUTIO GENERALIS eſt, *prudenti æſtimatione omnium, pacto ſolenni, formulis definitis ſanciendum, quid, quantum, quouſque cedatur*. videnda ſunt quæ *de formulis* ſupra diximus. In Pacificatione Sueco Danica, Boecler. de bell. Sueco-Dan. l. 3. p. 334. acute diſceptatum, *impenſæ belli qua litis æſtimatione taxandæ? quo pignore, quo tempore, quo ſolutionis genere definiendæ? tum ſi quæ loca fundandæ ſecuritati obtineri aut permutari poßint, quæ quibus præferenda, quæ potius ſperanda, cis aut ultra Oreſundam, vel in Jutia vel in Holſatia. Hæc atque talia, quamvis prudentiſſimo conſilio jam pridem meditata erant ac deliberata: in ipſo tamen articulo ardui tractatus non poterant non diverſas cogitationes, dubitationes, moras afferre.* Exemplo ex Jure publico Germanico rem illuſtrabo. Oppignerata regionis

gionis particula, v. g oppido, caſtro, vico, cum ſuis juribus & jurisdictionibus non intelligitur ſimul translata territorialis ſuperioritas. Hæc enim particulis illis non inhæret, niſi paſſive, ut ita loquar, præſertim cum recepta in Imperii Tribunalibus ſit regula: a) *Jus territorii generali conceſſione non venire. Et ſuperioritatem territorialem*, etiam in conceſſione generalioribus verbis facta, *exceptam ſemper intelligi.* Ad hæc regalibus ſimpliciter conceſſis, minora tantum conceſſa exiſtimari. b) Et à conceſſione unius alteriusve ſpeciei ad aliam, utut ſimilem, minus recte inferri, quod exemplis compluribus ad liquidum perducit Hertius. c) Itaque litibus evitandis ſpeciatim omnia exprimi æque creditoris ac debitoris intereſt.

a) D. Hertius in Diſſ. de Superioritat. ſ. 65. in ult. Dd. auctoritate nixus.
b) Roſenthal. de F. C. 5. concl. 15. n. 11
c) d. l.

§. XIV. ALTERA CAUTIO GENERALIS eſt, *ut certa pacta de impenſis in rem oppignoratam faciendis adjiciantur.* Sæpius enim ob nimias impenſas difficilis redditur ipſa reluitio debitori, cum creditor non tantum neceſſarias, ſed & utiles impenſas repetere poſſit. d) Quapropter debitori hoc pactum neceſſarium eſt, ut creditor plane nullas citra ejus conſenſum faciat impenſas, niſi ſi periculum ex mora naſcatur. Creditori verò, ne poſtea probatio impenſarum ipſi fiat difficilior, utile pactum eſt, ut etiam eo juſtius ac ſpecioſius jure retentionis uti poſſit, donec ſibi ſatisfactum ſit ob impenſas in rem pignoris cauſa obligatam factas. a) Itaque ut ſcite & apposite monet Ulpianus: b) *medie hæc erunt diſpicienda, ut neque delicatus debitor, neque oneroſus creditor audiatur.* c)

d) L. 8. pr. & L. 25. D. de pignor. act. Stryck. de caut. contra. Sect. 2. c. 4.
a) Add. L. 8. pr. de pig. act. & Stryck. de act. forens. investig. S. 1. membr. 5. §. 37
b) L. 25. in f. D. de pig. act.
c) Lauterbach. de ſ. [illegible] 11. 45.

§. XV. PRIMA CAUTIO obſervanda CREDITORI eſt, *ut pignus pretium debiti æquet aut ſuperet*, quo expeditius ſatisfiat. Nihil frequentius eſt, quam ita fieri, nec in eo quid injuſtum nec incommodum, ſi debitor ſolvet. Ad quem eo maturius ad ſolutionem adigendum

pignoris capio ſit. Eoque minus iniqua eſt, quo magis fini ſuo apta atque expedita. p)

p) M. v. P. II. D. 34.

§. XVI. *Cautio ob evictionem* (quæ facta eſt in oppignoratione Præfecturæ Draheimenſis à Joh. Caſimiro Poloniæ Rege d. 6. Novembr. 1657. Electori Brandenburgico q) ex ſuperabundanti ſit, quia ea per ſe & natura ineſt conventioni. r) Niſi quis hac naturali ratione non contentus more Quiritum ſuperinducere velit civilem cavendi rationem, ita ut in caſum rei evictæ, debitor ſtipulatione promitteret, præter ſimplum rei pretium, alterum tantum & ultra, veluti triplum aut quadruplum.

q) Puſendorf Rer Brandenburg. l. VI. §. 82.
r) Schilter. Prax. Jur. Rom. in For. Germ. Exerc 34. §. 18.

§. XVII. Deinde cum res, quæ pignori opponuntur mobiles æque ac immobiles vel *fructuoſæ* ſint vel *ſteriles*, circa priores frequens eſt, *ut adjiciatur* PACTVM ΑΝΤΙΧΡΗΣΕΩΣ. Id quod rationi naturali non refragari Mevius, s) Chriſtophorus ab *Hagen*, t) Lauterbachius, u) Puſendorfius x) aliique oſtendunt. Poteſt, autem hoc conveniri vel *determinate*; ut ſc. creditor non omnes omnino fructus, ſed usque ad certam tantum quantitatem illos retineat : vel *indeterminate*, ſi ſimpliciter ita convenerit. y) Omnia tamen ea, ſine quibus creditor re oppignerata commode uti nequit, ipſi conceſſa intelligenda ſunt adminicula. z).

s) Diſcuſſ. lev inop. deb. c. 4 Sect. 2. n. 14.
t) Tr. de uſur c. 11 n. 8. ſequ
u) Diſquiſ. de jur. ἀντιχρ. th 9.
x) de J N. & G L. 5. c. 10. §. 14.
y) Lauter. bach d. diſqu th. 13 & 40. & 42.
z id. th. 36.

§. XVIII. *Sterilibus pignoribus ſæpe ſolet addi* LEX COMMISSORIA, quæ nihil aliud eſt, quam pactum, quo creditor paciſcitur, ut ſi debitor intra certũ tempus non ſolvat, pignus ſit creditoris proprium. a) In pacificatione Succo Danica b) cum *hypotheca temporariam ſecuritatem, cuſtodiam difficilem, & expleto tempore novi belli materiam portendere videretur*; Thuillerius, ut huic rationi occurreret, clauſulam hypothecæ addendam, quæ perpetuitati reſponderet

a) V. L. 1. C. de pact. pign & 1 F. 27.
b) Boecl. de bello Succo-Dan. l. 3 p. 369.

deret

deret, ſuggeſſit: *ne recipere fas eſſet Danis expleto tempore, quod pignoris nomine traditum eſſet, niſi tum aliter ſecuritati Sueciæ caverent.* Thuillerius Succos argumentis & precibus fatigans, ut Hallandiam *conditione ea, quam deſignaverat*, acciperent, addidit, *perpetuo haud dubie in eorum poteſtate futuram.* 370.
Porro Suecorum Commiſſarii poſtularunt aut Hallandiam jure perpetuo, aut Hallandiam cum Bleckingiæ parte finibus Suedicis proxima, *ſub ea pignoris conditione, de qua dictum. Commercia quippe perpetua eſſe neque parum incommodi habere temporarium iſtud regimen*, oſtendebant, *inprimis ubi ratio adminiſtrandi provincias in tantum diſcrepet.* Remiſerunt tamen poſtea *hanc conditionem*, cum prius ſubmonuiſſent, *quam non fuiſſet abſurdum, ſi exemplo pactionis anni CIↃ IↃ CXIII. voluiſſent uti, qua continebatur; ſi vel obulus abeſſet de ſumma pecuniæ Danis pendenda, Elfſborgum commiſſum haberi oportere.* 375.
Legem commiſſoriam in imperio Romano primus prohibuit Conſtantinus ea lege quæ unica eſt *Cod. Theod. de commiſſoria reſcindenda*, ultima vero *Codice Juſtinian. de pactis pignorum & lege commiſſoria in pignoribus reſcindenda.* Ratio in promtu. c) Olim valebat. Cicero: d) *Philotes Alabandenſis ὑποθήκας Cluvio dedit: hæ commiſſæ ſunt.* Valet etiam nunc in terris, ubi leges Romanæ receptæ non ſunt, ut in Dania. Docet id Cranzius Saxonicorum X. Eſt & Hiſtoria eo pertinens in excerptis Legationum Priſci, ubi de Attila. Neque enim ea naturaliter eſt iniqua, imprimis pignoribus infructuoſis addita.

c) Molin. de J. & J. Tr. 2. diſp. 324. n. 2. Joh. de Lugo de J. diſp. 25. S. ct. 2. n. 177.
d) XII. Ep. 56

§. XIX. Recte quoque præcipue in ſterilibus ita conveniri poteſt, *ut ſi intra certum tempus non ſatisfactum conditionibus pacti, jure emtoris poſſideat rem juſto pretio tamen æſtimandam Creditor, vel etiam ut tunc pignus recte æſtimatum in ſolutum*

lutum detur. Quod ſi tamen non ſit expreſſum, nullum tempus id efficere poſſe putamus, ne luitio ſit pignoris, ſi id præſtetur pro quo pignus ſuppoſitum eſt, niſi forte ſi quis, luere cum vellet, impeditus id ſilentio transmiſiſſet tanto tempore, quod ad conſenſus conjecturam ſufficere poſſet. e) Quin & ſi dilata in infinitum ſatisfactio creditori damnum ſit allatura, non iniquum eſt, hunc pignus velut in ſolutum retinere. f) *Quod ad oppignorationes Imperiales attinet*, cum in Capitulatione Cæſarea diſpoſitum reperiatur, quod Electus Rom. Imper Electoribus Principibus ceterisque ſtatibus immediatis Imperii eas confirmare debeat: conventum eſt in inſtrum. Pac. Weſtphalicæ g) hanc diſpoſitionem, donec conſenſu Electorum, Principum & Statuum aliter ſtatutum fuerit, obſervandam eſſe, atque propterea civitati *Lindavv* nec non Weiſſenburgo in Noricis reddita forte oppignerationes Imperiales ipſis ademtas, *illico & plenarie reſtituendas.* Quæ vero bona *Status Imperii ſibi invicem pignoris jure* ante hominis memoriam obligaverunt, *in iis reluitioni aliter locus non datur*, niſi poſſeſſorum exceptiones & merita cauſarum ſufficienter examinentur. Quæ ſunt ipſa verba laudati Inſtrumenti pacis. h)

e) H. Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 14. §. 15 & l. 3 c. 20. § 60.
f) Puſendorf. de J. N. & G. l. 5. c. 10. §. 15
g) art. V §. VI n. 26.
h) d. l. n. 27.

§. XX. Salutaris porro cautela eſt, *ut loco contractus pignoratitii ſubſtituatur contractus retrovenditionis*, qui illi valde affinis eſt. i) Ut in vett. formulis non raro dicatur, als eine Pfandung vel jure pignoris poſſideri, quod ſub pacto retrovenditionis emtum fuerat. Ut teſtatur Weſenbecius k) & Beſoldus. l) *Hinc* pignus tale *fiduciæ* Romanorum comparat Strauchius, quem vide de hoc argumento *in Diſſert. de oppignerat. Imperii*, & Schilterum *de Jure Obſidum* & *Exerc. ad* Π. *ad t. de pignor XXXIII.* §. 4. *atque in peculiari diſſertat. de pacto retrovenditionis.*

i) Mev. P. V. II. D. 278
k) Conſ. 199 Conſ. 309. n. 6.
l) voc. Pfand-ſchilling.

Litteris

Litteris Bydgoſtiæ datis d. VI. Nov. 1657. Johannes Caſimirus Rex Poloniæ obligavit Friderico Wilhelmo Elector. Brandenb. arcem & oppidum Drahim *cum omnibus vaſallis, ſubditis, fructibus, libertatibus, eminentiis, cenſibus, proventibus & pertinentiis univerſis & ſingulis nihil excipiendo, vel ſibi & regno aut ſucceſſoribus reſervando, PLENO DOMINII JURE cum omnibus utilitatibus inde venientibus tenenda, habenda & poſſidenda*, eousque quoad CXXM. thalerorum Imperialium ſumma ſuæ Seren. Elect. vel ejus poſteris realiter pleneque exſoluta fuerit. Eſt vero in hoc contractu retrovenditionis longe pinguior conditio creditoris, quam in contractu pignoratitio. Creditor enim hic fit emtor omniq; adeo dominii jure utitur pendente conditione reſolutiva. l) Nam dominii translationem pactum de retrovendendo non impedit. Ne vero durior reddi videatur conditio creditoris, quod in contractu pignoratitio periculum maneat debitoris, m) in contractu retrovenditionis vero periculum ſit emtoris: conſulendum eſt, ut ſpeciali pacto conveniatur, ut debitoris, non obſtante translatione dominii, periculum eſſe debeat, elapſis retrovenditionis annis integro emtionis pretio reſtituendo. n)

Pufend. rer. Branden. VI. §. 82.

l) Bruſſel de Condition. l. 4. t. 5 n. 3.

m) L. 6. de pignor. act. L. 19. C. de pig.

n) Stryk. de Cautel. contract. Sect. II c. 4 §. 25.

§. XXI. Hæc de creditore. DEBITOR ſi minus tutum videbitur ipſi, cum quo pactum injit, tradere pignus, dabit operam, *ut intertii velut ſequeſtris, manus ad tempus conſignetur.* Huc referri poteſt Lumbrani dictum apud Puſendorſium, quod §. XII. *hujus capitis* allegavimus.

§. XXII. Si tamen id fieri nequeat, ne pignus, ſi ſatisfactum ſit legibus pactorum, reſtituere cunctetur creditor, debitoris eſt ſolicite curare, *ut ſibi idonee caveat de*

reſtituendo pignore tempore elapſo, in ſua bonitate, plene atque integre cum omni ſua utilitate, (prout in inventario ſuper id ipſum facto ſæpe contineri ſolet) *& de refuſione damni in pignore dati.* In compoſitione diſcordiæ o) inter Engelbertum Arch Colon. Simonem Epiſc. Paderb. & Comites Waldeccenſes Anno Domini M CC LX. ſeptimo in vigilia B. Mariæ Magdalenæ *promiſſum eſt etiam, quod Eccleſia* Corbejenſis ad *redimendum caſtrum* Lichtenvells *& oppida* Saſſenberg & Vorſtenberg *cum omnibus juribus ſuis, quocunque modo nobis ab Eccleſiæ tuitione cedentibus liberam habebunt* (debebat eſſe habebit) *facultatem in annis & terminis prænotatis.* Et poſt quædam interpoſita ſequitur: *præterea ſepe dictus Comes cum decem militibus, Comes de Arnesberg & filius ſuus cum ſex militibus firmam præſtabunt cautionem, ut cum memorata pecunia integraliter perſoluta fuerit, prout ſuperius eſt expreſſum, Caſtrum, oppida & bona prænotata cum integritate omnium ſuorum Corbejen. reſtituentur Eccleſiæ, & inhabitatores eorum jurabunt, quod eidem pertineant, ut tenentur.* Add. id. L. XIII. Annal. Paderbornenſium. p) Fliſſinga & Brila Anglis oppignerabantur *nihil immutato earum regimine.* Poloni proponunt apud Puſendorfium L. IX. Rer. Brandenburgicarum q) ad A. 1661 *ut Elector ſuper reſtituenda Elbinga caveat tota Boruſſia in commiſſum cadenda, ſi fallat*: quod velut cum ignominia conjunctum Electorales repudiabant. Demum tamen declarabant, *ſi Poloni Elbingam tradere velint, Electorem ſuper reſtitutione idonee cauturum.* Cautionem in ſcriptis de reddenda Elbinga habes apud eundem Puſendorfium L. VI. Rer. Brandenburgicarum. §. 81.

o) Schaten. Annal. Paderborn. XI. p. 114.

p) p. 259.

q) §. 18.

§. XXIII. Affines pignoribus ſunt POENÆ CONVENTIONALES. Eas diſerte inter firmamenta conventio-

num

num publicatum refert Octav. Vulpellus, r) Proſper Farinacius JC Romanus, s) celebr Lauterbachius, t) & Lumbranus REGIS CHRISTIANISSIMI legatus apud Puſendorf. u) Ex Merovingicis Franc. Regibus Guntchramnus & Childebertus Reges cum Brunichilde ita loquuntur in exemplari pact onis ſuæ apud Gregor. Turonenſ. x) *Hoc etiam huic addi placuit pactioni, ut ſi qua pars præſentia ſtatuta ſub quacunq; calliditate tempore quocunq; tranſcenderit, omnia beneficia, tam repromiſſa quā in præſentia conlata amittat, & illi proficiat, qui inviolabiliter omnia ſupra ſcripta ſervaverit, & ſit de ſacramentorum obligatione in omnibus abſoluta.* y) Pactis *conventis inter Ludovicum & Jacobum Galliæ & Angliæ Reges, ſuper matrimonio ineundo, inter Carolum Sereniſſ. Walliæ Principem & Henricam Regis Chriſtianiſſimi ſororem*, quæ habentur apud Grammondum, z) articulo ultimo, *qui pejeraverit luere ſocio* jubetur *quater centena aureorum millia in pænam fidei non ſervatæ.* Caveri quoque ſolet, ut, pœna etiam commiſſa & toties exacta, quoties peccetur, non ideo minus durer obligatio Vid. Leibniz. in *Præfat. Cod J. G. D.* Plura exempla ſunt in Schaten. ann Paderb Recte Plautinus adoleſcens:

Æquum videtur quin quod peccarim ...
Potiſſimum mibi ita obſit.

r) Tract. de Pace qu. 52. & alibi paſſim.
s) Prax crim. qu. 107. nu. 74. & ſeqq.
t) Diſſert. de pœna convent. §. 43.
u) H. Brandenb. VIII. 71.
x) l. 9. c. 20.
y) Vid. Mabillon. de Re. diplom. l. 2. 1. 8.
z) Hiſt Gal. XIII. p. 605: & ſeqq. ad A. 1624.
Plaut. Trinumm. Act. II. Sc. 4 v.

CAPUT XI.
DE FIDEJUSSIONE,
Qua firmantur conventiones publicæ, ejuſque ſpecie excellentiore quam GARANTIAM *peregrino vocabulo nuncupant.*
SUMMARIUM.

§. I. Conventionum publicarum ob metum ab aliis inferendum firmamentum eſt FIDEJUSSIO.

§. II. *Species excellentior* GARANTIA, cujus natura ſummatim exponitur. Præſtatur regulariter *ab aliis*,

§. III. Quandoque *mutuo à paciſcentibus*,

§. IV. Et *a ſubditis*. de qua re diſquiritur.

§. V. Idem fere hodie eſt, *ſi pacta ad modum legum fundamentalium obſervari jubentur.*

§. VI. Expeditior obligatio eorum, *qui pactis ruptis ad certam pecuniæ ſummam ſe fidejuſſorio nomine obſtringunt.*

§. I.

P*Ro eo, qui promittit, ſolent alii obligari, qui FIDEJUSSORES appellantur, quos homines accipere ſolent, dum curant ut diligentius ſibi cautum ſit*, ait Juſtinianus A. a) Gajus ICtus, b) fidejuſſores nos accipere ait, *dum curamus, ut quod in obligationem deduximus, tutius nobis debeatur.* Præclare Quintilianus: *ſponſor in hoc accipitur, ne creditor in damno ſit.* Idem innuit Scævola *in l. Creditor 60. §. 1. D, Mandati.* Hic recte Rutger. Rulandus, c) fidejuſſionem *remediis* contractuũ *firmatoriis* annumerat. f) Scita eſt appellatio fidejuſſoris Germanica ein Bürge / ei Ant. Heringii g) conjectura à voce Burck, quæ arcem ſive caſtellum denotat, indita. Non minus enim timidum creditorem fidejuſſores contra fraudes ſecurum præſtant, quam πύργοι, h) turres ſive urbes (hanc vocẽ enim urbem quoque ſignificare conſtat ex illo Æſchyli νόμιμα πύργινα *leges urbanæ*) vel *burgi*, i) i. e. habitacula per limitem & caſtella contra hoſtium incurſiones nos tuentur. Deinde utique intereſt noſtra nos plures habere obligatos. k) Et ſi in civitate fiſcalis indemnitas idonea fidejuſſione muniri ſolet, l) multo magis in ſtatu naturali paciſcentibus neceſſarii ſunt ſponſores. Licet autem fidejuſſores differant tum inter ſe, tum ab aliis, qui alienæ promiſſioni accedunt, ut docet Cujacius, m) & ſponſores uſu latinè loquentium recte nominentur, *qui alieno nomine pacta publica vel*

a) Pr. J de Fidejuſſ.
b) L 1. §. 8. D de O. & A.
c) Add §. ult. Commillar. tit de interr. c 1.
f) V L 1 L. 8. § 1. D. de Fidej. §. 1 J. eod.
g) c 17. de fijuſſ.
h) II Reg. XVI I
i) L. 6. C de fund. rei privat. XI. & L. 2. § 4. C. de off P. P. Afr.
k) L. 3 § f. D de liberat. leg
l) L 1. C. de loc. præd. civi. l. X.
m) ad 1. Sent. Paul. 10

vel factum vel ſervatum iri pollicitantur: conſuetudine tamen publica ſolennis Curialiſque ſcripturæ ad eos reſtringi hanc appellationem, *qui pacta publica alios quidem facturos vel ſervaturos promittunt; verum nomine non alieno & procuratorio, ſed ſuo & proprio*, eleganter obſervat *Vlricus Obrechtus*, Vir & Prætoria in Civitate Argentoratenſi dignitate, & litterarum gloria, & delegatione AUGUSTISSIMI REGIS FRANCORUM ad compromiſſum Francofurtenſe in cauſa Serenisſimæ D. DUCISSÆ AURELIANENSIS contra Sereniſſimum D. ELECTOREM PALATINUM illuſtris. Hos fidejuſſores ſive ſponſores *in Actis & inſtrumentis tractatuum conventionumque publicarum* pro diverſo negotii ingenio ac indole ſponſionis, *Expromiſſores, cuſtodes, vindices, firmatores, auctores ſecundos, executores* vocitari videas: ſicut fidejuſſionem ſponſionemque ipſam, *expromiſſionem, cautionem, evictionem, aſſecurationem, pactionem aſſecuratoriam, ſecuritatis præſtationem* dici, uſu Sponſ. Pac. c. 2. §. 1.

Quem penes arbitrium eſt & vis & norma loquendi Horat.

obtinuit.

§. II. Species excellentior hujus fidejuſſionis eſt, quæ GARANTIA exotico vocabulo nuncupatur: *cum populi liberi populorumque rectores inter alios paciſcentes fidem ſuam interponunt, ſeque effecturos promittunt, ut pacta publica rite ſerventur, & ſi qua facta injuria ſit, ea dematur.* Recte Baudius: a) *quænam firmiora ſecuritatis monumenta quærimus, quam ſponſiones maximorum Regum ac Principum, qui fidem ſuam eo nomine obſtringunt, ne nobis credulitas aliquid apportet damni?* Huic velut *fidejuſſioni*, ut recte obſervat Pufendorfius, b) *implicitum eſt fœdus circa ferendum auxilium illi, qui contra pacta invaditur adverſus injuriæ autorem.* Id quousque extendendum, cujus ſumtibus, quando, quo denique pacto expediendum ſit, *ex natura fœderis defenſivi* æſtimari iisdemque penitus regulis definiri juxta ac explicari poteſt: uti & de

a) l. 2. de induc. Belg. in f.

b) de J. N. & G. VIII. 8. 7.

univerſo fidejuſſorum officio. In exemplum ſingula enotare prohibet prolixitudo, atque ea noſcendi cupidos delegamus ad H. Grot. τὸν Πάνυ. c) Quæ tamen omnia non tam generalibus regulis obſervationibuſque includi, quam pactionum conventionumque legibus determinari amant. Inde magnum operæ pretium fecerit, qui ipſas ſponſionum tabulas inſpexerit. Ceteris pleniorem talis ſponſionis formulam à viro quodam celeberrimo *in exemplum compoſitam* proponit Ampliſſimus Obrechtus. d) Illuſtre ſpecimen exſtat *in pace Anno 1660. inter Sereniſſimos ac Potentiſſimos Sueciæ ac Poloniæ Reges, Olivæ inita,* a) hac omnino verborum conceptione: *Cùm pro majore ſecuritate hujus pacificationis, tam Sereniſſimus ac Potentiſſimus Rex Sueciæ, quam Sereniſſimus ac Potentiſſimus Rex & Reſpublica Poloniæ, ut & Sereniſſimus Elector Brandenburgicus poſtulaverint, ut Sereniſſimus ac Potentiſſimus Princeps ac Dominus, Dn. Ludovicus XIV. Galliarum ac Navarræ Rex Chriſtianiſſimus, cujus ope ac ſtudio inter præmemoratos Sereniſſimos Reges, & Sereniſſimum Electorem Brandenburgicum, pax promota, & mediatione ad optatum finem perducta eſt, executionis & obſervationis illius inter eoſdem FIDEJUSSOR exiſteret: Sacra majeſtas Chriſtianiſſima poſtulationibus ac votis illorum annuens, eodemque animo pacis hujus perpetuitatem exoptans, quo eam procuravit, pro ſe ac ſucceſſoribus ſuis Regibus Galliæ ſpondet ac promittit, idque per Illuſtriſſimum & Excellentiſſimum Dominum Antonium de Lumbres, Legatum ſuum plenariis mandatis ad hanc GVARANTIAM cavendam inſtructum: ſe executionem horum pactorum eorumque obſervationem ac perpetuitatem inter eosdem ſupramemoratos Principes omni meliori, quo fieri poteſt modo, etiam armis, ubi amicabilia media non proceſſerint, aſſerturam, & ſi quis Eorum ſub hac fidejuſſione comprehenſorum illa violarit, arma viresque ſuas parti læſæ ad ejus requiſitionem juncturam.* Poſt pauca interjecta: *Inte-*

grum

c) de J.B & P. II, 16 27. II.16.12.III. 20.11.II. 16. 16.

d) Sponſ.pac. c.4.§.6.

a) art.36. apud Puſend. H Brandenb VIII, §.75.

grum quoque erit paciſcentibus omnibus eandem Chriſtianiſſimi Regis Guarantiam & fidejuſſionem ſuſcipere, & alios quoque in tempore ratihabitionis ad idem officii genus invitare & denominare Principes ac Poteſtates. In noviſſima Ryſuicenſi pacificatione in hanc ſententiam cautum eſt. a) *Fas erit cum aliis Regibus Principibus, & Rebuspu. tum imprimis Suecia Regi, cu medıatori, æque ac virtute pacis Weſtphalicæ eam aſſerere, & Sac. Cæſareæ Majeſtati, Imperio & Sacræ Regiæ Majeſtati Chriſtianiſſimæ Guarantiam præſtare.* Illud annotatione digniſſimum eſt, quod de eadem negotiatione Olivenſi apud Puſendorfium b) legitur, Anglos cum aliud prætextum non noſſent extrahendo evictionis, quam Brandius Legatus Brandenburgicus ſolicitabat, negotio cauſatos eſſe: *Non poſſe Anglicanam aulam comprehendere, quid ſit Guarantia, nec in Tabulario ejus Regni ejuſmodi Guarantiæ inſtrumentum extare.* Poſtea tamen ſponſione ſua eum tractatum firmare amplius non diſtuliſſe. *Anglicum*, inquit Laudatus Hiſtoricus, INSTRUMENTUM *à Gallica* GUARANTIA *in eo differt, quod in hac integer tractatus extet, cui ſub finem annexa eſt* SPONSIO. *Sed Anglicanum* AD FORMAM DIPLOMATIS *conceptum eſt, quo Rex ea pacta adprobat atque confirmat, ac promittit ſe operam daturum etiam adhibita violentia armorum, ut eadem ab omnibus obſerventur.*

a) Art. 54.

b) Brandenb. IX: 8.

§. III. Etſi vero plane fidejuſſionem eſſe acceſſoriam obligationem, cum res ipſa loquatur, tum indicet *L. 1. D. de Fidejuſſoribus*, non obſtante *lege 95. § 3. de Solutionibus*, ubi fidejuſſio dicitur principalis obligatio propter reſtitutionem in integrum, quæ de fidejuſſione petita fuit; Quandoque tamen & *iidem contrahentes principales* mutua ſibi Garantia cavent: ſub aliorum tamen reſpectu & quatenus pro aliis compaciſcentibus pacem ſpondent; plane uti reos promittendi principales vice mutua fidejuſſores non inutiliter accipi Papinianus reſpondit in *L. 11. pr. & §. 1. de Solutionibus.*

Add.

Add. 7 *Pacis Weſtph. Art. 115. & 116.* In ante nominata *Pace Sueco Polonica, quo firmior ſtabilior, & ſecurior pax coaleſceret, & ab omni parte intemerata duraret, promittunt partes paciſcentes, omnes tam principales, quam fœderatæ, ſe eam tranſactionem & pacem, omneſque eius articulos, capita & clauſulas, ſancte & inviolabiliter ſervare velle & debere, & ne in poſterum violari queat, ſe invicem ad generalem Garantiam & evictionem mutuam ac defenſionem reciprocam omni ex parte obſtringunt: quam fieri poteſt firmiſſime ſpondentes: ut ſi contingat, unam partem ab altera vel plures à pluribus, terra vel mari, bello contra hanc pacificationem impeti: aggreſſor ipſo facto pro infractore hujus pacis ab omnibus haberetur: ac altera uti & reliquæ paciſcentium partes parti læſæ communibus armis aſſiſtere, & tam diu contra aggreſſorem bellum proſequi, donec Pax communi omnium partium conſenſu reſtituta fuerit, invicem tenerentur.*

§. IV. Nec deſunt exempla ſubditorum, qui ad ſpondendum in conventionibus Principum ſuorum adhibiti ſunt; ut ſi Principes pacta conventa non ſervaſſent, *immunes illi à fide & obſequio, vel hoſtem adverſus Principem tuerentur, vel Principem adverſus hoſtem non tuerentur. Priorem in formulam* conceptæ fideiuſſionis ſpecimen extat in conventione inter Philippum Galliæ & Johannem Angliæ Reges Anno Chriſti 1200 juxta quam Vaſalli utriusque partis promittunt, *cum omnibus foedis ſuis venire ad alteram partem, ſi Domini pacem non tenerent, ſicut eſt diviſa.* a) Idem in tractatu Londinenſi A. 1259. inter Ludovicum S. Galliæ & Henricum Angliæ Reges: b) Idem in Atrebatenſi pace anno 1430 inter Carolum VII. Galliæ Regem & Philippum Bonum Burgundiæ Ducem, in eundem ſenſum conſtitutum erat. c) Inter Carolum V. Cæſarem & Philippum cognomento Magnanimum

a) Leibniz C. J. G. D. To 1. dipl. 6.
b) Dipl 15. §. 8.
c) Id in præfation. jam nominati C. Dipl.

mum Haſſiæ Landgravium in Capitulatione An. 1547. Halæ Saxonum Convenit, ut præter Brandenburgicum & Mauritium & Voulſangum Palatinum fidejuſſores, *nobilitas atque populus Heſſicus, ſiquidem* Landgravius *pacta non ſervet, comprehenſum Cæſari tradant.* d) *Poſterioris* exemplum eſſe poteſt *fœdus apud Argentoratum Anno 842. XVI. Kal Martii, inter Ludovicum Germaniæ & Carolum Galliæ Reges percuſſum*, quod, Nithardo e) referente, jurejurando lingua *Romana* & *Teudiſca* concepto firmabatur, quod, ne barbarus ſim, ſemel i. e. Latine ponam, Bodini interpretationem ſequens: *Si Ludovicus Carolo Fratri quam dedit fidem ſervaverit, Carolus verò Dominus meus à promiſſis deſciſcat, nec illum à propoſita ſententia divellere poſſim, ne me quidem ipſe obſequentem habiturus eſt.* Atque id conſenſu utriuſque Principis factum oſtendunt horum in allocutione verba: *Si autem, quod abſit, ſacramentum, quod Fratri meo juravi, violare præſumſero, à ſubditione mea nec non à juramento, quod mihi juratis, unumquemque veſtrum abſolvo.* Non abludit, quod pace Præſtenſi Polonorum cum Cruciferis Anno 1437. convenit: *Ut Nobilitas atque Civitates caverent ſibi invicem, non fore ſe dicto audientes Dominis ſuis, ſi contra pacta venire vellent; idque impune fore Principes ipſi ſuis quique ſubditis caverent*, apud Cromerum. f) Sirempſe lege fœdus inter Ericum Daniæ, Sueciæ & Norvvagiæ Regem ac Vladislaum Poloniæ Regem, Vitouum Lithuaniæ M. Ducem percuſſum, idem Cromerus g) memoriæ prodidit: *ut etiamſi quis Principum ab eo fœdere vellet diſcedere ſubditi tamen ipſius eo fœdere nihilominus tenerentur* Quid? quod ipſius Papæ Joan. XXII. conſilio per modum arbitrii interpoſito declarant proceres Galliæ 7. Januarii 1319 *quod Regi, ſi contra conventiones* cum Flandrenſibus initas, *vel aliquam ex eis faceret aut veniret per ſe vel per alium, in hoc aſſiſtere aut eum juvare minime teneantur.* a) Clauſulam licet in qui-

d) S'eidan. comment. l. 19 p. 582.

e) Hiſtor. l. III.

f) De reb. Polon l. 21.

g) l. 18. p. 427

a) Leibnitz. dipl. 51. 3. 5.

busdam diverſam ab his, quas vidimus, quod tamen ad ſubtractionem obſequii attinet, cum his congruentem videre licet in tractatu concluſo in Fano S. Mauri inter Ludovicum XI. & Principes Ligæ, quam vocabant, Boni publici 29. Octobris An. 1465. Sed quid dicemus? *Anne ſubditis datum eſt, ut in ordinem redigant Rectores ſuos, & vindices ſint fidei publicæ?* Minime Gentium. Aut anne olim id licuit, noſtrorum temporum alia diſciplina eſt? Ita exiſtimat Leibnizius Vir doctiſſimus. b) Nos dicimus, in rebuspubl. primi ordinis id nunquam licuiſſe. *Qui ſub Rege naſcitur, primitus fidem Regi debet, quam ſi quis alius à Rege ſibi arrogat, rei alienæ temerarius contrectator eſt, nec ſtandum pacto, quod contra leges ſit & jura Regni*, ait Grammondus. c) Præclarè, pulchre, ſapienter! Idem in aliis rerumpublicarum figuris dicendum. Licere fortaſſe id poteſt in Civitatibus irregularibus. Neque tamen minus ampla credenda ſunt regnandi jura, hæc ubi ſiunt. Nam jus ſummi Imperii non amittitur tali pacto, ſed erit habendi modus imminutus per conditionem & Imperium temporario non abſimile. Si quis tamen contrahentium ita pervicax ſit, ut paciſci nolit, niſi hac lege atque omine, expeditiſſimas qualcunque concordiæ ſanciendæ rationes admitti conſentaneum eſt. Exemplo Pacis Atrebacenſis An. 1430. rem illuſtrat Amelottus. d) *An huc referendum eſt, quod Principes Imperii Garantiam pacis Monaſterienſis præſtiterunt?* Trautmansdorfius Imperatoris legatus in colloquio A. 1646. hac de re habito negavit Imperii Status abſque Imperatoris conſenſu in conſortium ſponſionis admittendos, non magis ac ſi quis Regni Gallicani Status inter ſponſores numerareveller. Avauxius Comes, Orator Gallicus repoſuit non anguſtum diſcrimen faciendum eſſe inter utroſque, quod illi eſſent quaſi ἀνυπεύθυνοι, hi autem ſubditi, *parceque les uns étoient Souverains les autres ſujets.* e) Add. Kulpis. Comm. Acad. in Monzamb. P. II. C. V. §. IIX.

b) Præf. C. J. G. D.

c) Hiſt. Gall. l. V p. 297. ad. A. 1620.

d) Diſcours hiſtorique

e) Wicquefort p. 1. del Amb aſſ. pag. 67. Itter. de Feud. Imp. c. 18. §. 6

§. V.

§. V. Idem fere hodie eſt, *ſi pacta de pace ad modum legum fundamentalium obſervari jubentur*, magno ſane arcano illorum, qui latè dominari cupiunt. Fac autem Cæſarem Inſtrumento pacis Weſtphalicæ contravenire, quæſtio eſt an liceret Ordinibus ſe Cæſari opponere & armis jus ſuum tueri? Reſponſio partim ex iis quæ diximus, partim *ex natura legum fundamentalium* peti poteſt.

§. VI. Certior, vel certe expeditior fidejuſſorum obligatio eſt; *qui ſe ad certam pecuniæ ſummam repræſentandam obſtringunt*, ſi pacta non ſerventur. Talis cautionis exemplum ſuppeditat pacificatio inter Archiepiſcopum Colonienſem Conradum, & Simonem Paderbornenſem Epiſcopum, hac omnino verborum conceptione: *Item ponet Paderbornenſis viginti quinque fidejuſſores, qui promittent, fide data, & juramento præſtito, ſi Epiſcopus infregerit, intrare Geſeke, à die monitionis infra quindenam, adjacendum tamdiu, donec ipſe Epiſcopus impleverit & emendaverit, quod infregit; & quisquis fidejuſſorum non ſervaverit, quod promiſit, eliget ſe teneri Archiepiſcopo in centum marcis, quas Archiepiſcopus in perſona & bonis ſuis ſine offenſa recuperabit. Et ſi aliquis horum fidejuſſorum deceſſerit, Epiſcopus requiſitus intra menſem ſub ſacramento alium ſubſtituet, qui ei fuerit nominatus.* In pace Cameracenſi, Gallos inter & Anglos, Anno 1559. concluſa, *Octo mercatores exteri, non Galli ſubditi, fidem interponent, pro ſolutione quingentorum millium coronatorum nomine pœnæ pro non reſtituto Caleto.* Quæ vera fidejuſſionis ſpecies, etſi pœnæ mentio fiat. Aliud huic non diſpar privatæ cautionis pecuniariæ exemplum *in pace inter Philippum Galliæ & Richardum Angliæ Reges* eſt in illuſtris Obrechti ſæpe laudata Diſſertatione de Sponſore Pacis ex *Rogeri de Hoveden* vetuſti Rerum Anglicarum Scriptoris *Annalibus*

Schaten. Annal. Paderborn.

X 2 *Angli.*

Anglicis, quos inſpicere nobis non licuit. Fœderati Belgæ ad Indiæ novennalem & cœteram Europæ negotiationem ſtabiliendam pecuniariam cautionem adhiberi ſtatuerunt, deſiderantes, ut in Belgio Hiſpani aureorum quindecies centena M. & ipſi in Hiſpaniam quinquies centena conſignarent. Hiſpani ad hoc reſpondent, *pecuniariam cautionem in hujusmodi negotiis eſſe inauditam neque admitti ab ipſis poſſe, vacuo per bellum ærario.* Ut hæc narrat J. Meurſius a)

a) Induc Belg

CAPUT XII.

DE RENOVATIONE, ſive CONFIRMATIONE *conventionum publicarum.*

SUMMARIUM.

§. I. Conventionum publicarum firmamentum *à generoſitate* paciſcentium petitum eſt RENOVATIO. Oſtenditur *Exemplis.*

§. II. Præcipue *privilegiorum.*

§. III. Ubi diſquiritur de renunciatione L. Vacuatis 19. C. de Decurionibus X.

§. IV. CAUTELA utiliſſima, *ne tranſeatur ad novos tractatus.*

§. I.

FRequentiſſimum eſt, ut pacta publica identidem renoventur confirmenturque, à generoſitate addito firmamento. Cambdenus: a) *Fœderum Renovatio apud Principes uſu receptiſſima, quæ fœderibus ipſis quaſi vitam infundit atque mutuam eorum benevolentiam orbi terrarum conteſtatur.* Ejuſmodi repetitio primo quidem hoc præſtat, ne quis mutatione perſonarum intercidiſſe religionem fidei ſacramentique poſſet imaginari cavillarique. Deinde, cum fidei ſacramentum ſit ſanctiſſimum humani pectoris bonum, merito ſæpius hominum

a) Hiſtor. Eliſabeth.

num animis inculcandum erat. Id Romani rerum Domini diligenter tenuerunt. Exempla in hanc rem cumulavit Bodinus b) Confraternitas Saxones inter & Cattos ut renovetur, in ipſis tabulis cautum eſt. Singulis fœderibus ictis inter LUDOVICUM MAGNUM & Helvetiorum pagos cavetur, *ut certo annorum decurſu renoventur.* Atque anno 1658. omnia fœdera duobus abhinc ſeculis cum ipſis percuſſa & ſpeciatim *pax perpetua* Franciſcum I inter & eos facta confirmata ſunt. c) Vide ſcitam hanc in rem Oſmanis Sultani ad Galliarum Imperatorem epiſtolam apud Grammondum. d)

b) De Rep. l 5. n. 615. & 616.

c) Amelot de la Houſſaye. diſcours hiſtorique p. 198. ſeqq.

d) Hiſt. Gall. l 3. ad A. 1618.

§. II. Huc pertinet quam maxime *renovatio privilegiorum* civibus ex pacto indultorum. Quamquam enim plerumque in rem concepta hæc pacta ſunt, fieri tamen non raro ſolet, ut quæ minus ſecundis Reipubl rebus promiſſa ſunt, ea prætextu neceſſitatis refigantur, & demum ad eos eatur, qui dicunt: aliud tempus alios mores poſtulat. Imo ſolent quandoque Principes privilegia à prædeceſſoribus ſuis conceſſa, non aliter habere rata, quam ſi eadem iisdem & ipſi dediſſent, ut inſtauratis privilegiis ſibi potius, quam deceſſoribus habeatur gratia. Quo jure, quave injuria id fiat, diſputare non licet. Ne tamen id fiat commodè evitari poteſt per novam eorum confirmationem. Hinc in Imperio Germanico A. B. lege priſci moris tenax Carolus *de imperiali decrevit plenitudine, ut in Regem Romanorum electus, peracta ſtatim electione priusquam in aliquibus cauſis aliis ſive negotiis virtute ſancti Imperii adminiſtret*, univerſis & ſingulis Principibus Electoribus, Eccleſiaſticis & Secularibus, qui propinquiora S. Imperii membra eſſe noſcuntur, omnia ipſorum privilegia, literas, jura, libertates, conceſſiones, antiquas conſuetudines, & etiam dignitates, & quidquid ipſi ab Imperio uſque in

c. 2. § 8.

diem electionis ſuæ obtinuerunt & poſſederunt, abſque dilatione & contradictione confirmare & approbare debeat per ſuas literas & ſigilla, ipſisq; præmiſſa omnia innovare, *poſtquam imperialibus fuerit infulis coronatus*. Diſertior confirmatio in ſequente articulo injungitur: *Confirmationem autem hujusmodi Electus ipſe cuilibet Principi Electori in ſpecie* primo ſuo nomine regali *faciet, & deinde* ſub imperiali titulo innovabit, *& in his ipſos Principes in genere, & quemlibet in ſpecie, nullatenus impedire, ſed potius absque dolo gratioſè tenebitur promovere.* Atque in ipſis conditionibus ſactis, quas *Capitulationes* vocant, in quas Reges Romanorum recens creati jurare adiguntur, comprehenditur, ut Rex Romanus *Ordinum omnium Nobilitatisque* regalia, immunitates, privilegia, oppignerationes, jura, conſuetudineſque, quibus hactenus quacunque ratione terra marique uſi eſſent, rogatus citra tergiverſationem, citra moram, more majorum confirmet, eòſque in eorum uſu defendat tueaturque, neque homini cuiquam in fraudem eorum privilegia concedat, & ſi quæ hujuscemodi tempore belli fuerint conceſſa, ea nulla & invalida ſint, nullaque & invalida eo ipſo eſſe jubeat

Capitul. Leopol. Joſeph. atque §. 3.

§. III. Ne privilegia ante data vario colore rurſus adimantur aut labefactentur famoſus ille cautelarum architectus Cæpolla poſt Bartolum & alios ἄλλους ſuppeditat, ut privilegio inſeratur clauſula, non obſtante *L. Vacuatis 19. C. de Decurionibus X. & L. 1. C. de petit. bon. ſubl. X.* Videnda item *L. 6. C. de Vectigal.* Enimvero, uti ſummus imperans privilegia ex conventione conceſſa regulariter revocare nequit; ita cum primo hæc lex non valeat, niſi ubi Romana jura obtinent, deinde de Decurionum natali neceſſitate munera

Cautel. 115. & 160.

nera publica & honores ſubeundi ſanciat, ne contra eam impetrata privilegia, tamquam contra utilitatem publicam lata, valerent, *Conf. l. quotiescunque 37. l. 43. C. de Decur. & l. 137. C. Theod. eod. l. fin. C. de municip. & originar.* Decurionum ratione ſublata, non eſt quod ab illis legibus jure metuatur. Quamquam ſuperflua non noceant, & ut variis cauſidicorum diſputationibus anſa præcidatur ſtylus cujusvis curiæ conſuetus tuto adhibeatur Vid. Hertius Noſter a) & Schilterus, (b) Nobiliſſimum iſtud Par JCtorum. Utilior fortaſſe eſt cautio de inſerendis ſtatutorum codici privilegiis. De qua videndus idem Schilterus. c)

a) Diſſ. de Lege clauſula ne abrogari poſſit in unio ta Sect. III. §. 1. 2. & 3.
b) Prax. Jur. Rom. in for. Germ. l. x, 1, §. 28.
c) d. l. §. 29.

§. IV. In renovatione pactorum hæc CAUTIO egregia eſt, *ne tranſeatur ad novos tractatus.* Scilicet quia fœdere aliquo ſeſe exſoluturi novos tractatus ordiri ſolent, quibus citra concluſionem abruptis, priore ſe obligatione liberatos credunt; quod qui ſuper pacto adhuc valido in novam tractationem deſcendat, jus ex eis quæſitum remiſiſſe videatur. Vid. Puſendorf. Rer. Brandenburg. IX. 6. ad Annum 1660.

CAPUT XIII.

DE FIRMAMENTIS CONVENTIONUM PUBLICARUM, QUÆ A LEGATIS INEUNTUR.

SUMMARIUM.

§. I. Conventionum publicarum a legatis initarum firmamenta ſunt (1) MANDATA. Queis omnes *legatos* inſtructos eſſe oportere oſtenditur.

§. II Etiam

§. II. Etiam *Legatos à Latere*, contra Canoniſtas,

§. III. *Et Legatos liberarum Imperii Civitatum ad Diætas*, contra ſcriptorem anonymum.

§. IV. CAUTELA, *ut cum cura inſpiciantur.*

§. V. De charta blanca.

§. VI. (2) RATIHABITIO EXPRESSA.

§. VII. & VIII. Ejus cauſa efficiens in Rebusp. irregularibus & regularibus.

§. IX. TACITA, quæ ex ſignis æſtimatur.

§. X. Supplicatio & finis operis.

§. I.

CONventionum publicarum firmamenta generatim ſuo quæque loco expoſuimus. Supereſt ut de quibusdam ſpeciatim videamus, ex methodi lege: non tamen repetitis iis, quæ ex ſuperioribus ad ſingulas conventionum figuras accommodari poterant; cum hoc unicuivis pronum ſit expeditumque. Par eſt, ut jam nunc de iis *pactis* putemus, *quæ à legatis conciliantur.* Sunt enim valde illuſtria & in actu rerum nunquam non frequentantur, ac in univerſum ſtatim cum ipſis Rebusp. cœpere; cum nec tutum videatur eſſe, nec plane etiam fieri poſſit, ut qui ad gubernacula aſſideut, clavo aliis relicto, colloquio tranſigant; niſi conditio perſonæ, temporis, negotii & alia momenta contrariam prudentiam requirant. Per legatos autem contrahitur obligatio, ſi conſtet de voluntate principalium, qua illos elegerint, ut inſtrumenta ſua ad hoc ſpeciatim, aut ſub generali notione. Legationis itaque eſſentialis nota ac quaſi character eſt ipſum MANDATUM. Quo deficiente, etſiamſi omnia alia adſint requiſita, ipſam tamen deficere legationem, neceſſum eſt. *Nihil turpius haberi*, inquit Cicero, a) *quam ſine procuratione Senatorem, & ſine mandato legatum exiſtere.* Enim vero quemadmodum huic ſine mandato venienti nullus de jure aditus patet: *L. 13. D. de off. Procons.* ita

a) III. de LL.

ita nec legatis noſtris, qui hac in parte nonnihil cum eo conveniunt. Atque adeo canes legatis ad Jovem miſſis mandata dediſſe fingit bonæ mentis magiſter Æſopus b) Neque heic diſcrimen eſt faciendum inter legatos *primi* & *ſecundi ordinis*. Eſt enim proprie omnis legatus mandatarius miſſus ab eo qui ſummam poteſtatem habet ad ſui ſimilem ob publicum aliquod negotium expediendum. Nicolaus Papa in litteris c. an. 868. Roma in Germaniam ad Ludovicum Regem exaratis *nunquam Apoſtolicæ Sedis modum fuiſſe* memorat *abſque ſignatis apicibus undecunque legationem ſuſcipere.* Retulit has litteras in Decretum Gratianus *Diſt. XCVII. c. Nobiliſſimus 3.* ubi conferri etiam poſſunt, quæ habet Gloſſa. Rhæti negabant miniſtrum publicum eſſe, qui litteris fiduciæ ad Remp. careret; c) nec concedebant Veneti jus Gentium eſſe violatum in Turca (*Chiaoux*) à Selimo II. in Galliam miſſo, quem in carcerem compegerant, cauſati, juris gentium privilegio non uti hominem, qui nullas ad Principem litteras fiduciæ haberet. Probata eſt hæc ratio LUDOVICO MAGNO Regi Galliæ, qui vindicias ſecundum libertatem poſtulaverat. d) Diſerte Imppp. GRAT. VALENT. & THEOD. AAA. *in L. 1. C. de mandat. Princip.* e) ad Fuſignium P.P. (in Cod. Theod. eſt ad Euſignium Proconſulem Africæ. Ex notis error. ſcribunt: *Si quis aſſerat cum mandatis noſtris ſecretis ſe veniſſe; omnes ſciant neminem quemquam, niſi quod ſcriptis probaverit, eſſe credendum: nec ullius dignitate terreri: ſed ſacras noſtras litteras eſſe quærendas.* Et Gloſſa retulit: f) daß man des Papſts oder des Käyſers Botten oder Bottſchafftern nicht glauben ſoll / ohne derſelben Brieffe / wiewohl ſie auch ſonſten beglaubiget ſeyn mögen, id eſt, *Papæ vel Cæſaris nunciis legatisve ſine litteris venientibus non eſſe credendum, etſi alias fide digniſſimi ſint.* Videndum item *C. cum in jure 31. in f. X. de off. delegat.*

b) Phæd. IV. Fab. 17.

c) Wiquefort Ambaſſad. l. 1. Sect. 15.

d) Id d. l. p. 259.

e) Addat. L. 5. C de jur. fiſc.

f) Landr. l. 3. art. 63. in verb. mit ſeinen Brieffen.

§. II. Legatis quibuſdam Summi Pontificis, iis præſertim, qui quaſi *è Latere* Pontificis, cui aſſiſtunt, miſſi *legati à latere* vocantur, ob dignitatis prærogativam ſine litteris, aut alia probatione credi Eccleſiaſtici juris conſulti uno velut ore affirmant. Legati autem à latere κατ' ἐξοχὴν vocantur Cardinales, qui extra ordinem ad ardua negotia, maxime cum Regibus, raro cum Principibus aut Rebuspublicis, nunquam fere cum feminis g) conſultanda ac tractanda mittuntur. *Poſſet quidem*, quæ *Andreæ Barbatiæ Siculi, qui legum ſplendor* cognominari ſolet, in præludio tractatus de Cardinalibus à latere verba ſunt, *dici à latere Papæ miſſus, etiamſi non ſit Cardinalis, puta aliquis officialis ejus ſeu Capellanus, vel familiaris, dummodo hoc exprimatur in litteris ſuæ legationis, ſed uſus Romanæ Eccleſiæ ſolos Cardinales legatos de latere vocat.* Ratio Canoniſtarum eſt, quia Cardinalis Curiam ſine commiſſione vel delegatione legaliter facta exire non ſolet, idcirco creditur ei adſerenti ſe eſſe legatum. Sed ea ſententia vix recepta. P. Engelius è D. Benedicti familia monachus h) hanc proponit exceptionem, niſi aliqua à jure communi ſibi non conceſſa prætenderet, qualia non præſumerentur aliter, quam ex mandato Apoſtolico probata. i) Quin imo in Hiſpania & Belgio priusquam legati Apoſtolici recipianrur, illorum poteſtas ſeu facultas examinatur, ut moneri illi poſſint, quibus uti conveniat diſpenſationibus & commiſſionibus, ne quid fiat in reip. detrimentum. Polo Pauli III. Legato à latere Philippus jam conſummato cum Maria matrimonio ſignificavit, præter cetera ampliore quoque facultate inſtructus ſit, neceſſe eſſe, ſi Angliam ingredi vellet, ceu Wiquefortius k) refert. Nuſpiam arcte cuſtoditeque magis legatorum à latere poteſtas habetur, quam in Gallia:

g) Wiquefort. Ambaſſ. lib. II. Sect. 10.

h) Colleg. Jur. Canon. ad tit. X. de off. Legat. n. 8.

i) addi poteſt Gonz. Tellez ad c. 31. X. de off. & poteſt n. 5 & A. Perez ad. C. de legation. X.

k) Ambaſſ. Liv. I. ſect. 10. p. 159.

Gallia: etſi ab anno 1484. uſque ad A 1665. XXIII. in hoc Regnum miſſi ſint. l) Juvat valde huc coram afferre, quæ Laurentius Bochellus in ſuprema Pariſienſi Curia Advocatus ex codice libertatis Eccleſiæ Gallicanæ volumini Decretorum Eccleſiæ Gallicanæ in hanc rem inſeruit. Adducit nimirum ex capite II. *Non mittit Papa in Franciam Legatos à latere cum facultate reformandi, judicandi, conferendi, diſpenſandi, & ceterorum, quæ in poteſtatis ſuæ bullis nominatim exprimi conſueverunt, niſi ad poſtulationem, aut de conſenſu Regis Chriſtianiſſimi: nec legatus facultatibus ſuis utitur, priuſquam Regi ſchedam proprio ſigillo munitam præbuerit & ſolemni jurejurando confirmaverit, ſe dictis facultatibus in regno ſuo non uſurum diutius, quam ipſi Regi placuerit: & ſimul atque legatus de Regiæ voluntatis mutatione certior factus erit, protinus ab incepto deſtiturum. Item dictis facultatibus non uſurum, niſi de quibus aſſenſum habuerit Regium, & nihil præterea; nec acturum aut aggreſſurum quicquam, quod ſacris Decretis & Conciliis generalibus, immunitatibus & privilegiis Eccleſiæ Gallicanæ & univerſitatum ſcholarumque publicarum hujus regni præjudicare poſſit. Propterea legatorum facultates Curiæ Parlamenti offeruntur, in qua videntur, examinantur, verificantur, publicantur, & regiſtrantur, cum modificationibus, quas Regno utiles dicta Curia judicaverit, & ſecundum modificationes iſtas lites omnes & jurgia ſuper his mota, nec alio modo terminantur.* Ex Capite III. allegat: *Legatus à latere vicarios deputare vel ſubdelegare ad exequenda legationis ſuæ munia, abſque expreſſo Regis conſenſu non poteſt: ſed ipſemet in propria* (perſona) *poteſtate, quam diu viget, uti debet.* Porro ex Cap. V. exſcripſit: *è Regno diſcedens Legatus à latere volumen Expeditionum legationis ſuæ tempore factarum, circa ea quæ regnum ſpectant, in Francia relinquere tenetur, ſimul & illius ſigilla in manibus probitate conſpicui alicujus viri à Rege deputati.* Denique iſta ex capite VI. in medium

l) V. Gregor. Leti in Cerem. P. 2. l. 7. p. 572. & ſeq. ubi omnes ordine enumerat.

medium afferuntur: *legatus à latere ſacramento & reſcripta ſchedula obſtringitur, quod nihil in ſecularem jurisdictionem aggredietur, ſubditos non diſtrahet, adverſus Regis officiales interdicto vel excommunicatione non utetur, neque quicquam aget contra libertates Eccleſiæ Gallicanæ, edicta, conſuetudines patriæ, ſtatuta & privilegia.* Videri poſſunt quæ Petrus de Marca m) diſſertat, & quæ Oſſatus Cardinalis d. 28. Jul. An. 1603. n) ad Villaræum ſcribit de Cardinali Lotharingico Pontificis Legato à latere conceſſa poteſtate. Illuſtris vir Jac. Auguſtus Thuanus libro III. Hiſtoriarum inſeruit leges, quas ſuprema Curia Pariſienſis diplomati, quod Hieronymus Capiferreus Cardinalis à Paulo III Papa An. 1547. ad Henricum II. Regem Chriſtianiſſimum legatus miſſus ſecum attulerat, appoſuit, haud diverſas ab illis, quæ olim Alexandri Farneſii & Jacobi Sadoleti Cardinalium mandatis fuerant adjectæ. In Germania rari fuere legati à latere, & ſi tales mittantur, eorum poteſtas præter alias reſtrictiones quam maximè à concordatis Germaniæ An. 1447. inter Nicolaum V. Pontificem Max & Fridericum III. Imp. initis, limitationem haud dubie accipiet: tantum abeſt ut ipſis ſit ſine litteris fiduciæ fides habenda.

§. III. Quid *de liberarum Imperii civitatum legatis ad Diætas miſſis* dicendum? Quos mandatis carere poſſe aſſerere non dubitat nonnemo, atque ita longo uſu ſervari clamat. o) Hæc ſententia adeo diſplicet Sprengero, p) ut vanam dicat. Et ſane adverſatur utique *legibus Imperii publicis*, q) adverſatur *litteris Cæſaris invitatoriis*, r) adverſatur *communi* illuſtriſſimorum Germaniæ *Doctorum conſenſui.* Quos dum dico, Philippum Knipſchildium, s) Limnæum ſententiæ adverſæ nuncium mittentem, t) Herm. Conringium, u) Joh. Georg. Kulpiſium x) & Auctorem libelli Grund-Veſte des H. R. Reichs y) dico: qui civitatum Imperialium legatos nec *jure* poſſe,

m) De concord. Sacerd. & Imp. l. 6. c. 21.
n) Lettr. 342.
o) Autor des Berichts/ wie es auff Reichs-Tägen pflege herzugehen Londorpii Act. publ T. IV. & Lehmann. Chron Spir. l. 7. c. 124. inſertus.
p) Lucern. Imp. p. 7.
q) R. J. Worm. An. 1545. §. dem allen ſ. R. J. Ratisbon. A. 1546. §. dieweil wir. ſ. Add. R. J. Auguſtan. A. 1582. §. 73. & 74.
r) Apud Londorp. Contin P. 1 l 3. c. 13.
s) De jur & priv. civ Imp l. 2. 2. n 127.
t) Addit. Tom II p. 354.
u) De Comit. Imp. Germ. §. 41.
x) De Legat. Imp c. 12. §. 13.
y) P. I. c. 6. p. 58.

poſſe, nec actu ſolere heic ſibi quandam arrogare prærogativam, pridem ante nos oſtenderunt.

§. IV. Cũ igitur tanta modo auctoritas mandatarii ſit, quanta in eum expreſſis mandati formulis à mandatore eſt translata, utiliſſima *CAVTELA* eſt, *ut formulæ mandatorũ accuratiſſime ſemper excutiantur, & ſecundũ earum vim, auctoritatem & verba, conſilia omnia, omnes cum mandatariis expediendæ actiones conſtringantur.* Fallitur enim & quæ facit nequidquam facit, qui mandatario plus credit & tribuit, quam ille in mandatis accepit. Quod tanto majore ſolicitudine & circumſpectione in publicis negotiis providendum eſt, quanto majora ſunt, quæ in iis procurantur. Servitus igitur mandatarii eſt diligenter fines mandati cuſtodire: z) nam qui exceſſit aliud quid facere videtur, inquit Paulus JCtus *l. 5. pr. Mandati*; neque temere aliquid ſine mandato in rebus magni momenti agere. Sed & cauta quoque ac neceſſaria ſervitus eſt cum mandatario agentis, nihil illi credere aut permittere, quod ſit ſupra limites exhibiti mandati, quodque non ſufficiat rei, quæ in mandatis data eſt, tutæ & ſecuræ executioni. Fecialis Romanorum, ubi ad fines Latinorum venit capite velato, (filum lanæ velamen erat) AUDI JUPITER, inquit, AUDITE FINES POPULI PRISCI LATINORUM, AUDIAT FAS. EGO SUM PUBLICUS NUNCIUS POPULI ROMANI. JUSTE PIEQUE LEGATUS VENIO VERBISQUE MEIS FIDES SIT. Ita quidem perſonam probabant pro innocentia illorum temporum & ſimplicitate. Hodie, quod longe cautius eſt, mandata publica litteris expreſſa exhibentur ante rei tractationem. Quidquid enim pro Rep. fit & ætatem ferre volu-

z) V. Gagliard. Dunozet. Decis. 131 n. 9. P. C. Bellugæ ſpecul. Princ. rubr. 43. n. 2. Joh. Franc. Andreol. Controv. for. 15. n. 9. 10.

mus, initio ſui undique certiſſimum & tutiſſimum eſſe debet. Videatur utique, quæ tota ad hunc locum pertinet elegantiſſima *M. Zuerii Boxhornii diſquiſitio Politica XL.* de mandatis Hiſpanicis Fervinii exhibitis, à pleriſque & cautiſſimis quibusque Gallorum rejectis, novis expeditis, queis pactis ineundis vis & ſecuritas abunde conciliaretur. Tempore pacificationis Sueco-Danicæ Commiſſarii Suedici Wittenio Fœderatæ Belgicæ Legato depoſitâ ſequeſtri perſonâ ad ipſorum partes acceſſuro cum Collegis reſponderunt: *ante omnia inſpiciendam utrinque mandatorum formulam, unde de tota negotii tractandi ratione conſtare poſſet a.)* Eſt enim, ubi ſufficiat mandatum *generale* (quod ſolet *vocari diploma legationis, litteræ credentiales, aut codicilli dignitatis, lettres de creance, creditiv, credenz*-Brieffe) perſonam legati legitimans: eſt, ubi *ſpeciale* requiratur, quod negotia, ſuper quibus agendum eſt, determinet, *diploma facultatis*, ſeu *inſtrumentum procuratorium*, vulgo *pouvoir*, Vollmacht dictum, quod ſtrictius liberiusque pro genio negotii. P. Suavis b) quaſi rem novam & inuſitatam prodit, Pontificem ſuis ad concilium Tridentinum legatis *diploma legationis tantummodo dediſſe, non autem* pro more *diploma facultatis, quam vocant.* Angli à Pavio Belgicæ legato voluerunt exhiberi præter litteras credentiales etiam Plenipotentiam, quod ille velut ſupervacaneum neglexerat, uti Leo ab Aitzma memorat. c) Legati Brandenburgici ad negotiationem Neomagenſem *per rerum naturam fieri non poſſe*, inquiunt, *ut tractatio citra procuratorium ſuſcipiatur.* d) Aliquammulta habes ſpecimina exactiſſimi examinis procuratoriorum diplomatum apud illuſtrem Pufendorfium d. l. quæ omnia hoc loco repræſentare prohibet prolixitas, atque ea noſcendi cupidos ad ipſum auctorem dimittimus, non nulla tamen excerpentes. An. 1576. circa præparamenta pacis Neomagenſis ſat ſudato, poſteaquam ſequeſtres tandem

a) Bœcler. de Bell. Sueco-Dan. l. 3. 341.

b) H Concil. Trident. II. p. 124.

c) Hiſt. pac. ad. A. 1652.

d) Pufendorf. H. Brandenb. XIV. 6 ad A. 1676.

deni monuerant, diem auſpicandis tractatibus præteriiſſe, *initium ab exhibendis procuratoriis fiebat.* Multus de titulis ſermo, ut fieri aſſolet. Quando Gallorum, Suecorum, & Belgarum procuratoria ſequeſtribus tradebantur, hi ſingulis aliorum procuratoriorum exempla, queis ipſi fidem facie-bant, mittebant; autographa ſingulis reddebantur. In Gallico & Suecico Belgæ notabant, quod utrique ſuper juſtitia armorum ſuorum inſeruiſſent: ſed in iſto peculiariter, & quæ ſunt alia. Viciſſim Galli & Sueci improbabant, quod in Belgico procuratorio legati juberentur pacem concludere *proficuis Reip. conditionibus*: quæ verba tamen Belgæ ultro mox expunxerunt. In Danico Procuratorio Sueci carpe-bant, quod vocabulum *Gothorum* cum *h* litera in medio ſcripta eſſet; cum hæc ſcriptio ſolis Suecis competat, Danis autem *Gottorum* ſit ſcribendum. Quam notam cum irriſu accipiebat Danus. *Criticam vocabuli Gothorum & Gottorum ſupra captum ſuum eſſe.* Sed quia ex his aliiſque procuratoriis ingens diſputationum ſeges pullulatura erat, ſequeſtribus placebat COMMUNEM FORMULAM concipi verbis laxis, nec offensæ quid habentibus. Galli contra dicebant, *cuilibet integrum eſſe ponere, quæ ex uſu ſuo videantur: ſed penes alterũ eſſe fidem adhibere velit an minus.* Jure meritoq; etiam rejecit Lionæus mandatum Cardinali Spadæ ab Urbano VIII. liti Barberinos inter & Parmenſem de Ducatu Caſtrenſi componendæ cum clauſula, *ſervata inſtructionis forma*, datum. c) Hoc enim pacto nihil cum internunciis tuto poſſet agi, cum ſemper metuendum eſſet, ne ab aperto mandato diſcreparet arcanum *epiſtalma* vel *epitagma*, uti quidam legunt *in L. Bene à Zenone. 3. C. de quadriennii præſcriptione*: nec facilior prætextus foret omnia per internuncium concluſa ſubvertendi, aliosque inanibus tractatibus illudendi. *De forma externa* diplo-

c) Wicquefort l'Ambaſſ. l. 1. Sect. 14. p. 164.

diplomatum Legationis ita loquitur Wiquefortius. f) *Les* Lettres de creance *s' expedient d' ordinaire dans la Chancellerie, c' eſt à dire, qu'elles ſont ſcellées du petit ſceau, ou du cachet, & contreſignées d'un Secretaire d Eſtat, ou de quelque autre Miniſtre, qui en fait la fonction. Toutefois cela n' eſt pas abſolument neceſſaire:* Id eſt, *diplomata Legationis in* Cancellaria *plerumque expediuntur* minori *aut* privato *ſignata* ſigillo *&* Secretarii Status *vel alterius Miniſtri huic ſuccenturiati* chirographo *adſcripto. Quamquam hoc non plane neceſſarium eſt.* Uti exemplo Germaniæ aliorumque Principum oſtendi poteſt, qui proprio chirographo litteris ſubſcribunt.

f) L' Ambaſſ. liv. 1. Sect. 15 p. 259.

§. V. Ex dictis facile conſtare poteſt, quid dicendum ſit de *charta pura* ſive *blanca*, quæ *blanc-ſigné*, Blancket/ hiſpanice *procura en blanco* vocatur, nomine aut ſigno Principalis vel utroque inſignita, quæ ſæpe mandatariis, quorum de fide non dubitatur, committitur, ut ſuper ea quæcunque obligationum inſtrumenta ſcribere poſſint. Quæ cum haud quicquam Principem obliget, ſi quid illi inſcriptum fuerit, quod à natura mandati negotii abhorreat, & in quod conſenſiſſe Princeps præſumi non poſſit, g) ſedulo cavendum eſt ne quid nobis credulitas apportet damni. Inde chartæ Wenceslai non æſtimantur, cum membranas perplures nudas raſasque dederit, ſolum ſigillum in imo continentes, ab aliis implendas, uti dictum in diſſertatione noſtra ſub Præſidio Hertii Noſtri JCti excellentiſſimi habita *de diplomatis Germ. Imp. & Regum* h) & conſtat *ex ſententia exauctorationis* An. 1440. die 10 Auguſti *in Sede Regia* propter Confluentiam pronunciatæ i)

g) Puſendorf de J.N. & G. l. 3. c. 9 §. 2.

h) Sect. 1. §. 19.

i) Gregor. Tholoſ. de Rep. l. 26 c. 4. n. 3. Goldaſt Reichs-Satzungé fol 158 Thulemaier de octovir. Vitis Hiſtoric Germ. T. 1. p. 180.

§. VI. RATIHABITIO, quam hodie *ratificationem* appellant, aliquando *neceſſaria* eſt, ubi ſc. legati ea conditione fuerunt pacti. Adpoſite Gregorius Pontifex in *C. Quoties*, quod eſt *II. X. de pactis, Quoties*, ait, *in conventionibus no-*

bus noſter expectatur aſſenſus, ne in dubium veniant, quæ geruntur, ratihabitio eas debet pro ſecuritate partium ſolidare. Atque ſic intelligi poteſt dictum Suecorum in pacificatione Oſnabrugenſi, *pactionem niſi ratihabitam perfectam non eſſe.* k) Aliquando non niſi *dicis cauſa* adhibetur; & utique nihil aliud eſt, quam ſolennitas curialis, conſuetudine ſeculi, in quoſcunque humanæ perfidiæ caſus providi demum introducta. l) *Cautio ratihabitionis tunc exigitur, quoties incertum eſt, an negotium mandatum ſit* L. 1. C. de Procurat. Ergo ſi certum fuerit, de eo non cavebitur. m) Plane ad hunc locum pertinent & quæ nos heic docemus quaſi fulcimento quodam firmant quæ 16. Septembr. A. 1608. ad Villaræum ſcripſit Petrus Janinus n) Henrici M. ad inducias Belgicas Legationis princeps, ſuper rerum tractandarum peritiam legumque cognitionem incoctum cunctis bonis artibus ingenium. (Thadée) *deſire auoir charge de ſuiure le conſeil que nous luy donnons; & fait ce qu'il peut enuers les Archiducs, à ce qu'il m'a dit, pour les y faire conſentir, ſur ce que je luy ay remonſtré, qu'ils ont bonne & ſuffiſante procuration du Roy d'Eſpagne, pour accorder, s'ils veulent, la liberté en la meſme forme, qu'il eſt contenu en la premiere treſue, ſans qu'il leur ſoit beſoin d'obtenir quelque nouveau pouvoir. Et encore qu'il y aye peut eſtre quelque choſe de contraire en leurs inſtructions: il y a bien grande apparence que s'ils veulent prendre ce conſeil, le Roy d'Eſpagne aura plus agreable de le ſouffrir & diſſimuler & de le ratifier meſme feignant d'en eſtre courroucé, que d'y conſentir expreſſement auant le coup. Et quand les Eſtats n'auroient que tel traité fait en vertu de ladite procuration, ſans autre ratification du Roy d'Eſpagne, ou bien que la ratification d'iceluy ne ſeroit en ſi bonne forme que Meſſieurs les Eſtats le pourroient deſirer, il ne laiſſeroit d'eſtre valablement obligé enuers eux; car ce n'eſt pas icy comme en la pre-*

k) Wiquefort. l'Ambaſſ. liv. II. ſect. 15 p. 267.

l) V. Io. Georg. Kulpis de legat. ſtat. Imper. c. 2. §. 3.

m) Vid. Socin. Reg. 318.

n) negotiations Tom. I. p. 572. & 873.

miere treſue que les Archiducs firent avec promeſſe de faire ratifier le Roy d'Eſpagne, parce qu'ils n'auoient point lors de procuration de luy pour accorder cette liberté. Il eſtoit requis d'avoir ſa ratification en bonne forme, & celle qui fut enuoyée n'eſtant telle, les Eſtats firent refus avec raiſon de l'accepter. Id eſt, *Thaddæo*, ſive, qui ſub hoc nomine latitat, Ricardoto Archiducum legato *non diſplicet conſilium noſtrum, omnique ſe elaborare ſtudio, ut in conſenſum pertrahat Archiduces, mihi affirmavit, poſtquam ipſi oſtendi ſufficere* inſtrumentum procuratorium *ad concedendum, ſi velent, libertatem eo pacto quo primis induciis conceſſa erat. Ac licet fortaſſe qua in parte contrarientur* arcana mandata, *veriſimillimum eſſe, Regem Hiſpaniæ hoc conſilium, ſi inierint, potius executurum, & ſimulata in ſpeciem quadam indignatione, ratum habiturum, quam, antequam initum fuerit, diſerte probaturum. Neque ſi nulla Regis ratihabitio, aut minus ſolennis minusque Ordinibus probata acceſſerit, minus* obligatoriam *eſſe talem* conventionem. *Aliam enim hujus pactionis eſſe rationem, ac primæ, quæ* hac lege *inita fuit*, ut ratihabitione Regis firmaretur. *Itaque Archiducibus ſufficienti mandato tunc temporis deſtitutis ratihabitionem, cum ſolenni ac conſueta formula concepta non fuerit, jure ab ordinibus fuiſſe rejectam.* Hodie conventiones publicæ perraro publicantur, niſi utrimque traditis ratihabitionis diplomatibus, (lettres de ratification.) Nos, qui πραγματικῶς hoc argumentum tractare ſolemus, quædam quæ ad formam talium litterarum propius attinere videntur, ſtrictim repræſentabimus, nonnullam fortaſſe ab æquis lectoribus gratiam inituri. Arnaldus Oſſatus Cardinalis omnium per multos annos Gallicanorum in Urbe negotiorum conſiliorumque particeps & adminiſter ita ad Villaræum *17.* Octob. Anno 1596. o) *le mot meſme & l'effect*

n) lettre. 77.

l'effect de la ratification ne s'entend plus outre, qu'à ce que les Procureurs ont accordé, fait & geré, promis & accepté au nom du ratifiant. Id eſt: *Verbum & effectus ratihabitionis non ultra intelliguntur, quam Procuratores nomine ratihabentis egerunt, promiſerunt acceptaruntque.* Longa hæc licet epiſtola, tota tamen hoc argumentum verſat, quam ſi quis monitis adactus meis perlegerit, ſpero fore, ut nec ipſum obſequii, nec me pœniteat conſilii. Sexto & decimo Junij die A. 1596. ad eundem ſcripſerat, p) *le Roy pour ſatisfaire à l'article de la ratification, comme il fut paſſé par nous & comme il ſe trouve couché dans la bulle de l'abſolution, n'aura à faire autre choſe qu'à prendre en ſa main les lettres patentes de la ratification expediée en la façon portée par les memoires qui vous furent par nous envoyés avec ladite Bulle, & dire audit ſieur Legat, qu'il a ratifié & approuvé, ratifie & approuve tout ce qui a eſté fait à Rome par ſes Procureurs au fait de ſon abſolution & a fait expedier les lettres patentes de ſa ratification en forme probante & authentique, leſquelles il luy baille & conſigne, le priant de les envoyer à noſtre ſainct Pere.* Id eſt: Cauſæ ratihabitionis, *prout à nobis ſtatuta & in Bullæ abſolutionis litteris conſignata eſt, ita ſatisfaciet Rex, ſi ſumto in manus ratihabitionis programmate ad modum in litteris, quas una cum Bulla tibi miſimus, concepto, dicat Legato, ratihabuiſſe ſe & approbaſſe, atque hoc ipſo ratihabere & approbare omne quod Romæ à Procuratoribus de abſolutione actum eſſet, inſtrumentumque publicum ratihabitionis fieri curaſſe in forma probante & authentica, quod ipſi in manus tradat, rogans, ut Beato Patri mittat.* Addit Arnaldus: *C'eſt la forme la plus courte & la plus ſimple, & qui ſuffit.* Id eſt: *Forma breviſſima eſt ſimpliciſſimaque, & omnino ſufficiens.* Poſt quædam interjecta ſequitur, quod maxime ad cautionem videtur pertinere, *& ſera bon, que deſdites lettres patentes on*

p) Lettre. 62.

prenne un receu dudit Legat, ou qu'il ſoit retenu acte de la dite conſignation par devant Notaires & teſmoins. Id eſt: *in rem* Regis *eſſet, ſi acceptarum litterarum cautio à Legato exigeretur, aut teſtimonium de exhibitione coram Notariis & teſtibus ſumeretur.* q) Ex his quæ fuſe Arnaldus & ſparſim proponit, quaſi florum quoddam corpuſculum facit Wiquefortius, r) & ſubjungit tandem, neceſſe eſſe, ut majori ſigno conſignentur ratihabitionum, prorſus uti ipſa conventionum publicarum diplomata. Id quod nos non ſemel indicavimus. s)

q) Add. Epiſt 73. integra

r) l'Ambaſſ. P.II. Sect. 15. p. 262.

s) c. VI. §. 4. & §. 13.

§. VII. Cum ejus ſit, qui habet ſummum in civitate imperium, rata habere ea, quæ ipſius nomine cum aliis acta ſunt, ſequitur in rebusp. mixtis & irregularibus quemque pro ea parte, qua habet imperium, ratihabere debere, quæ tractata ſunt. Sic in imperio Germanico *juxta* Imperatorem ipſi Status litteras ratihabitionis conficiunt. In Polonia cum Rege Senatus Regni, aut Comitia. Id memorabile, quod eſt in promiſſione Alberti Regis Romanorum de confœderatione facta cum Philippo Rege Galliæ, apud Quatuor valles, vulgo Quatreuaux 1299. *præmiſſa omnia & ſingula, per* Romanorum Reginam Illuſtrem Elizabeth Conſortem noſtram *approbari, ratificari & fieri ac de iis ſervandis & fideliter adimplendis ipſam faciemus efficaciter obligari.* t)

t) Leibniz. dipl. 25 §. 3.

§. VIII. In ipſis Rebusp. primi ordinis ſive regularibus, præter eum, qui Majeſtatem habet, interdum & Proceres, (ubi ſcilicet ea civitatis diſciplina eſt, ac Rex non vult ratum eſſe quid, niſi à ſenatu probetur) ratihabitione legatorum actus approbant & confirmant. Quandoque ii, quorum ſpecialiter intereſt, & qui proximum Regiæ ſpei locum occupant, pacta ratihabere quoque ſolent, quæ à legatis incuntur. Feliciſſimam pactionem, qua AUGUSTUS BURGUNDIÆ DUX & SERENISSIMA PRINCEPS SABAUDICA

DICA ſtabili connubio juncti ſunt, non ſolum AVUS REX litteris ratihabitionis confirmavit, ſed DELPHIN PATER quoque, ac ipſe SPONSUS idem fecere. *Sc.* ſacrum Hymenæum, ex quo per omne volubile ævum venturæ poſteritati Rectores deſtinavit Divina Providentia par erat firmari à LUDOVICO MAGNO, qui immortali virtute & humani generis ſuffragio SOLUS meliorem orbem curat IPSE aut PER PROXIMAS NECESSITUDINES; & à LUDOVICO DELPHINE, qui hauſtum cum ſanguine parem illum imperio orbis ſpiritum & jam in PRINCIPES JUVENTUTIS manifeſtiſſimis indiciis feliciſſime derivatum innumeris imperterritæ animoſitatis prudentiæq; plane divinæ documentis in celebritate refertiſſimo theatro dudum oſtentavit, & à LUDOVICO BURGUNDIÆ DUCE, quem LUDOVICI M. ſanguine creatum, ſpiritu animatum, exemplo formatum nobiliſſimum in Univerſo Solium conſueto fatorum ordine expectat. Age,

Exhibet hæc inſtrumenta Frid. Leonardus.

Macte tua Virtute, Heros: ſic itur ad aſtra;
DIS GENITE ET GENITURE DEOS.

Virgil. Æn. IX. 641.

Et TU

Magnorum ſuboles Regum, pariturăq; Reges,
MARIA ADELHEIDA, Mundi melioris Spes, Decus, Incrementum,

Claudianus de Nupt. Honor. & Mariæ.

Accipe fortunam generis, diadema reſume,
Quod tribuas natis, & in hæc penetralia rurſus
Vnde parens progreſſa, redi. Fac nulla ſubeſſe
Vincula cognatæ; quamvis aliena fuiſſes
Principibus, regnum poteras hoc ore mereri.

Quæ propior ſceptris facies? qui dignior aula
Vultus erit? non labra roſæ, non colla pruinæ,
Non crines æquant violæ, non lumina
flammæ.

§. IX. RATIHABITIO autem non tantum expreſſa, ſed & TACITA recepta eſt. Silentio quædam conveniri non male à Javoleno dictum eſt *L. Ea lege 51. D. Locati.* Menander;

Θυγάτηρ ἐπίγαμος κἂν ὅλως μηδὲν λαλῇ,
Διὰ τοῦ σιωπᾶν πλεῖστα περὶ αὐτῆς λέγει.
Ætate nata nubili, ut dicat nihil,
Satis tamen ipſo ſignificat ſilentio.

Quod & in publicis conventionibus earumque firmamentis uſu venit. Julianus ait *L. 32. §. 1. D. de LL.* licet in alia re, *merito & ea, quæ ſine ullo ſcripto populus probavit, tenebunt omnes, nam quid intereſt ſuffragio populus voluntatem ſuam declaret, an rebus ipſis & factis?* Cauſa hæc eſt, quod conſenſus qualitercunque indicatus & acceptatus vim habet juris transferendi. Signa autem conſenſus ſunt & alia præter verba & ſcripturam, puta facta, notæ, nutus, ut non ſemel indicavit conſummatiſſimus Grotius, u) reperta ad ſignificandum cum mutua obligatione, quod Ariſtoteles dixit κατὰ ξυνθήκην. V. L. *Non figura 38 D. de O. & A. & c. Tuæ Fraternitati 25 X. de Sponſalibus* Olim apud Græcos & Romanos olivarum rami revincti laneis vittis, quæ in manus ſupplicum dependebant, x) apud hos etiam ſcuta capiti impoſita, y) item ſcuta & vexilla perverſa z) apud Macedonas haſtarum erectio, a) apud Perſas manus poſt tergum complicatæ b) ſigna ſupplicis deditionis ſimul & firmamenta. Plinius lib. XV. H. N. c. 30. de lauru: *Ipſa pacifera, ut quam prætendi etiam inter armatos*

u) de J. B & P. l. II. c. 4. §. 4. l. III. c. 1. §. 8. & c. 24 §. 1.
x) Ariſtoph. in avibus, Petron. Arbiter in Satyrico. Virgil. VIII. Æn.
y) Appian. Civil. II.
z) Ammian. l. 26.
a) Liv. 33. 10.
b) Ammian. 18.

hoſtes

beſtes quietis ſit indicium. Quod ex hiſtoria ſacra Gen. VIII, 11. manaſſe ad liquidum perduxiſſe videntur *Martinus de Rod* Cordubenſis, ex Societate Jeſu Theologus & S. Paginæ Magiſter, c) doctiſſimus *Samuel Bochartus* in *Hierozoico* d) & hujus veſtigia premens *Joh. Pompartius.* e) Etiam apud inſulanos quosdam Americanos olea ſignum paci prætendi, ut Tertulliani f) verbis utar. Sic Columbus g) de inſula quadam Hiſpaniolæ vicina. *Primo adventu occurrunt adoleſcentulæ triginta, quæ ramos olivarum manibus geſtabant, & ubi appropinquabant præfecto, in ſignum fœderis pacisque, illi ramos porrigebant.* Plinius lib. XXII. c. 4. *Summum apud antiquos ſignum victoriæ erat, herbam porrigere victos, hoc eſt, terra & altrice ipſa humo, & humatione etiam cedere: quem morem etiam nunc durare apud Germanos ſcio.* Qui victi ſe dedunt inermes ſupplicant, ait Servius ad 1. Æneid. Atque arma tradere deditionis non ſignum modo ſed pignus eleganter vocat Loccenius. h) Hodie tela candida tacitum ſignum petiti colloquii; *Ignis ſuccenſus apud Septentrionis populos, teſte Joh. Magno & aliis: ſuſpenſio caudæ equinæ apud Turcas: & apud plerasque, ni fallor, Europæ Gentes ſonus quidam tympani aut buccinæ, quam *chamade* gallice vocant. Hinc tritæ uſu formulæ dicendi, *faire chamade, battre la chamade, faire ſonner la chamade,* tubæ tympanive ſigno ad colloquium obſeſſos aut obſidentes evocare, & è contrario, *reſpondre à la chamade,* tubicini, tympanotribæ ad colloquium evocanti reſpondere: Item *premiere, ſeconde, troiſieme chamade,* primum, alterum, tertium tubæ tympanive ad colloquium ſignum. Obligant ergo hæc ſigna non minus, quam ſi oratione aut litteris cautum eſſet.

§. X. Reſtant quædam capita *de firmamentis compro-*

c) Sing. loc. S. S. P. I. lib. 4. c. 5.
d) l. II. c. 6.
e) Parall. Sacr. & Prof. in Geneſ. VIII. 11.
f) De baptiſ. VIII.
g) Navigat. c. 103.
h) ad Curt. VII. 4. 18.
*) Grot. de J. B. & P. l. III. c. 24. §. 5. Unde *faire pavillon blanc* Gallis ita circumſcribitur, arborer un pavillon blanc pour demander quartier dans un combat. vel, faire un ſignal de paix pour montrer qu'on veut avoir commerce, P. Richelet Diction. oc. pavillon.

promiſſorum publicorum & pacis præparamentorum, *de firmamentis fœderum tam æqualium quam inæqualium*, item *de firmamentis conventionum publicarum ſummos Imperantes inter & ſubditos initarum*, puta *de capitulatione*, quam vocanr, *de lege commiſſoria*, *de amneſtia*, ſique quæ alia ſunt in eum ſenſum, atque adeo nequaquam contemnenda Diſſertationis pars, & jam affecta quidem illa. Sed me aliò vocant juſſa eorum, quîs rerum mearum arbitrium divinitus eſt permiſſum. Itaque mihi, cum DEO, hic pauſa & finis: cui gratia & gloria in æternum. Fidem modo voſtram! Quorum fidei Res Chriſtiana commiſſa eſt,

Silius Italicus.

Fœdera mortales ſævo non rumpite ferro,
Sed caſtam ſervate fidem, fulgentibus oſtro
Hæc potior regnis.

Et jam nunc adeo DEUM, QUI FIRMAMENTUM EST IN TERRA, publica voce obteſtor atque precor, ut vobis, qui Ejus in terris vices gerentes Ei Vos quam ſimillimos præſtare debetis, ad finem usque vitæ quietam & intelligentem humani divinique juris mentem duit, quæque ſemper cogitet, nulla re homines propius ad DEUM accedere, quam fidem, ſtabilitatis ejus quam in amicitia cum DEO, cum hominibus requirimus, firmamentum, ſanctiſſimè ſervando, dandoque hominibus ſalutem,

Pſalmo ſecundum Latinos LXXI. 16.

ORBI QUIETEM, SECULO PACEM SUO.

Seneca Tragœdus.

Annue DEUS PACIS, DEUS VERITATIS, DEUS JUSTITIÆ, & ſi quid ſcriptum ſit, quod ſcribi jus non ſit, iſtam noxiam libens, volens propitiusque mitte, ejusque in tota hac commentatione ſcriptum nihil eſto.

F I N I S.

EPIMETRA.

I. Abſolutum imperium evidentiſſimis tam novi quam veteris teſtamenti locis comprobatur.

II. Præter Catholicorum, Auguſtanæ Confeſſioni addictorum, & Reformatorum de religione ſententias nullam aliam in S. R. J. recipiendam, vel tolerandam Divalium conſtitutionum jubet ſanctitas: niſi quod Judæorum ſectam feralem, quam vocat CONSTANTINUS A. *in L. 3. C. de Jud. & cælicol.* ferendi jure utuntur omnes, qui regalia ab Imperatore & Imperio habent. *Quamvis*, ait Goswinus ab Esbach ad Bened. Carpzov. P. III. Conſt. 12. Def. 10. *Anabaptiſtas & illos, quos vulgo* Quäcker (Quackeros Anglicano vocabulo quaſi tremulos) vel Labadiſter (Labadiſtas à Jo. Labadæo, Vaſcone, primum Soc. Jeſu, poſtea Miniſtro in non unis Eccleſiis Gallicis, noviſſime Medioburgi in Zeelandia, quod Synodi Wallonicæ decretis parere nollet, munere moto) *appellant, quibusdam in locis magno religionis detrimento tolerari videamus, & merito miremur.*

III. In cauſa noni Electoratus prohibentium fortaſſe potior eſt ratio.

IV. Poſſeſſoria judicia juris civilis ſunt, *L. 35. de A. vel A. P. l. 13. C. de R. V. l. 3. C. de interdict. l. 14. C. de agric. & cenſit. XI.* Inter gentes non obtinent.

V. Quod PHILIPPUS A. *in L. 11. C. fam. erciſc.* ſancivit, *inter filios & filias bona inteſtatorum parentum pro virilibus portionibus aquo jure dividi oportere*, id aliqui ex ratione naturali deducunt. Et concedi hoc poteſt de jure naturæ, quod eſt pro certo rerum ſtatu.

VI. Reſpublicæ Eccleſiaſticæ in Germania à feudorum ſucceſſione feminas non excludunt, & regula juris feudalis Alemannici, Krumbſtab ſchleuſt Niemand auß / i. c. *Pedum excludit*

neminem, parit præſumtionem pro allegante & probandi onus devolvit in adverſarium.

VII. Feminæ regulariter non ſuccedunt in feudis oblatis ſecularibus: Si tamen conſuetudo loci eas admittat, ſub formula zu rechter Mannſchafft und Lehnſchafft/ item zu rechtem Mann-Lehn/ ſimilive non excluduntur.

VIII. Civilis doctrina neque ſub Rhetorica, uti Socratis ætate & à Sophiſtis factum eſt, neque ſub Jurisprudentia, ceu ab aliquot ſeculis vulgo exiſtimatum eſt, comprehenditur.

L. B. S.

GRaviores extantioresque typothetarum mendæ, & quæ tuum, MI LECTOR, animum in diverſa trahere poſſent, ita emendandæ. P. 4. *lege* accommodatis *pro* accomodatis p. 14. proſcenia *pro* proſcænia p. 34. Princeps autem *pro* Principes autem ipſi, p. 38. graviſſime *pro graviſſime.* App. p. 40. cupita *pro* capita p. 54. dirimere nititur *pro* diremit p. 62. *in marg. ſub fin.* Bojor. *pro* Eojoi. p. 20. interpoſitam *pro* interpoſſitam p. 73. *&* 74. *aliquoties* d'Oſſat *pro* Doſſat *&* Oſſato, Oſſatus, *pro* Doſſato, Doſſatus p. 85. *ἀναγκαῖοι pro ἀναγκαίων* p. 94. *ὑπάρχοντος pro ὑπάρχοντος* p. 102. *ὅρκον pro ὅρκον ibid. ἰσχυρότατοι pro ἰσχυρότατον* p. 119. *βωμὸς pro βωμὸς* p. 131. obſtagiis *pro* obſtagio p. 135. *& fortaſſe alibi* Margarita *pro* Margaretha p. 139. *τεκμήρια pro τεκμήρια* p. 140. *ἄναι pro εἶναι & paulo poſt αὐτῷ pro αὐτῳ* p. 141. Hebræa *pro* Hebrea p. 162. *ἀνυπεύθυνοι pro ἀνυπεύθυνοι* p. 183. veli *pro* tela *ibid. in lin. ult. marg.* voc. *pro* oc.

Peccatum alibi multifariam eſt in notis diſtinctionum, cifrarum, litterarumque transpoſitionibus & inverſionibus, quæ facilem veniam merentur & impetrabunt. In rebus autem ipſis ſi fuerimus lapſi, da veniam homo homini. Aut homo alius, aut res, aut ætas aliud ſuggeret, aliud docebit. Philippo olim Macedoni, cum ſederet & ſub haſta captivos venderet, quidam acclamavit, *Paternus tuus amicus ſum, ô Philippe.* Juſſit accedere, aurem commodat; ille inſuſurravit, *Demitte veſtem, nam indecore ſedes.* Optime accepit Macedo, ſtatim dimitti liberum juſſit, & *vere*, inquit, *hic mihi amicus.* O tales nobis ſint, qui pudenda aliqua aut pœnitenda noſtra tegant, non revelent! Si quis autem p. 40. *ſagax naſum*,

Plautinam

Plautinam phraſin, aut *p. 112. preſtabit* & *p. 113. hys*, medio, quod vocant, ævo ita ſcribi ſolita, aut *p. 139. conditione* pro *conditioni*, quod eſt in Florentino Pandectarum Codice, *L. ſi mandatu 59. §. Paulus 6. D. Mandati, vel contra*, aut quæ ex antiquis inſtrumentis & diplomatibus Gallicis excerpta ab hodierno Gallicani ſermonis lepóre abhorrent, ſi quis, inquam, hæc atque talia in pejorem partem rapiat, Pomponium Secundum Tragœdiarum Scriptorem imitando, AD POPULUM PROVOCADO.

PActorum Regumqua ſint *Firmamina, certe,*
WALDNERE Illuſtris, multijugâ arte doces.
Scilicet, ut meritò *PATRUM Virtute* ſuperbis;
Intendis propriâ ſic quoque laude frui.
Non etenim nulla eſt MAJORUM Gloria; Major
Attamen eſt Virtus propria, Lausq; TUA.
Hinc uti, (quæ TUA Laus magna eſt) præcellis utroque;
Auguro: Sic quoque TE non niſi magna manent!
Hoc voveo: *Summi ſuccreſcat Numinis inde*
Gloria! Multa ſalus ſit TIBI! ſitq; TUIS!

Hæc Illuſtri & Generoſiſſimo DN. FRIDERICO LUDOVICO WALDNERO DE FREUNDSTEIN Genere pariter ac Eruditione illâ Spectabili, quâ, raro ſine Exemplo, Nomen ſuum inter Egregios Juris Candidatos non

 ſolum

ſolum eſt profeſſus ſed etiam excellenter admodum idipſum aſſeruit; FAVTORI, AMICO, CONSALINO ET DOMESTICO SVO per plures annos ſuaviſſimo & modeſtiſſimo, *De Firmamentis Conventionum publicarum* loco *Diſputationis Inauguralis* ſolenniter & ſine Præſide, Diſputanti, cum omnigenæ proſperitatis Voto appoſuit

FRIDERICVS NITZSCHIVS
Phil. & V. J. D. Com. Pal. Cæſar. Conſil. Haſſ. & P. P.

Fœdera quid firmet, quæ ſtringant vincula pacta
Publica, fallaces disjiciantque ſtrophas;
Ardua res dictu: ſed doctè primus in artis
WALDNER digeſſit compoſuitque modum.

Per-Illuſtri Generoſiſſimoq; DNO WALDNERO, ſolenniter diſputaturo lubq; faciebat

J. N. HERTIUS. D.

QVI Decus ingens, & noſtri Pars magna Lycei
Extitit, ingenii tot documenta dedit:
VVALDNERVS, dum Pacta fovet, dum Fœdera firmat,
Æternum firmat Nomen honore SIBI.

VIRO, Antiquâ Generis Nobilitate, Virtute, Omnigenaque Eruditione Ornatiſſimo, DN. FRIDERICO LVDOVICO WALDNERO DE FREVNDSTEIN, Fautori ſuo plurimum colendo, de Optimo Specimine, qua par eſt officioſitate, gratulatur, illuſtrem dignamque ſuis Meritis Fortunam ex animo apprecatus

BERNHARDVS LVDOVICVS, MOLLENBECIVS D.

FINIS.

ILLUSTRI ET GENEROSO
AC NON MINUS
LITERIS CLARISSIMO.
DOMINO
DN. FRIDER. LUDO-
VICO WALDNERO
DE FREUNDSTEIN.
IN
LUDOVICIANA ACADEMIA
ABSQUE PRÆSIDE
GRAVITER ET SOLENNITER DISPUTANTI
GISSÆQUE VALEDICENTI
INDEQVE AD EXTERAS NATIONES
OMNI FESTINATIONE PROPERANTI
UNANIMITUS GRATULANTUR
MAGNIF. D. NITZSCHII
COMMENSALES.

ROmanis duo fuerunt templa;
Alterum VIRTUTIS
HONORIS alterum.
Hoc penes illud, & illud penes hoc erat.
Qui VIRTUTIS templum penetrârant,
HONORIS digne ingrediebantur.
Quia
Pro magnis VIRTVTVM meritis
Magni quoque debentur HONORES
&
Honor virtute paratur.
Igitur
Tu GENEROSISSIME VIR
Virtuoſorum PHOENIX
Solidiſſimæ ſapientiæ OCEANE

merito ſumma HONORIS Corona
es coronandus.
Quum
Divinum Tuum ingenium,
Ampliſſimum prudentiæ theatrum,
Totus orbis jure admiretur.
Quippe
Nobile Tuarum Virtutum palatium,
Incredibilem omnium rerum ſcientiam,
Aureum decori ornamentum,
Singuli ita ſint experti
ut ad individua repere
haud ſit opus.
Es etenim,
Aſylum omnis elegantioris ſtudii
Summus Mæcenas
Omnium probatiſſimarum optimarumve
literarum.
Acſi
In ipſo aureo LATII ſeculo
ſis natus.

In ſlorentiſſima GALLIA
educatus.
Ab ITALIA ſuaviſſima
adoptatus.
Ab ipſa ſplendida GERMANIA
arrogatus,
LATINUS ore
GALLUS more
ITALUS flore
GERMANUS lepore
Sis Omnibus
delectamento melle dulciore.
Studiisque inauditis
PHILOSOPHUS verus, non ſimulatus.
HISTORICUS probe expertus, non fabuloſus,
POLITICUS inſignis, non callidus,
JCTUS. conſummatus, non Legiſta
merus.
Quod,

Præter-

Prætermiſſa Tua nullum locum laudandi ſpecimina
Hactenus merito probarunt,
& in hanc diem
TUUM INAUGURALE FACINUS
adhuc
ſatis ſuperque teſtatur.
Ut inde,
mirabili miratione
Elata ad cœlum voce
Ambas complodamus manus
& libere exclamemus!
Hoc
EXCELLENTISSIMUM NOBILITATIS CIMELIUM
Ad omnis politioris artis culmen
Ad ſcientiarum bonarum cacumen
pervenit,
Omnique *Juri* ſanguinem exuxit.
Nec unico hoc contenti

Sed

Sed
Tuo erga nos obſervato favore
Semper habitove patrocinio,
quoque ſumus obſtricti
Gratulationes agere.

Dehinc
de hoc doctiſſimo elegantiſſimove
Tractatu,
ex intimis viſceribus
unanimiter gratulamur
et enixe precamur
DEI TER OPTIMI MAXIMI
Immenſam benedictionem.
CHRISTIANISSIMI Gallorum REGIS
PROTECTORIS Tui Potentiſſimi
ſempiternam Clementiam
Atque ab Immortalibus Diis
Precibus obtentam perpetuam proſperitatem.
Ad per ILLUSTREM DN. PARENTEM
Reditum feliciſſimum,

Exopta-

Exoptabilem Itinerum accelerationem
&
Orbis terrarum continuam
Omnibuſque fructibus impletam
Peragrationem
ac demum
dulciſſimæ Patriæ emolumento
meſſem exorabilem.
Quæ
In COMMENSALES Tibi addictiſſimos
ſe gratioſe diffundat,
Eosve omni tempore
Clypeo Tuæ GRATIÆ inſcribat.
VALE.